UTRUM
MULIERES ATHENIENSES
SCAENICOS LUDOS SPECTAVERINT
NECNE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

OCTAVIUS NAVARRE
Litteras graecas in Facultate Litterarum Tolosana docens.

TOLOSAE
EDEBAT E. PRIVAT BIBLIOPOLA
VIA DICTA DES TOURNEURS, 45

MDCCCC

UTRUM

MULIERES ATHENIENSES SCAENICOS LUDOS SPECTAVERINT

NECNE

UTRUM

MULIERES ATHENIENSES

SCAENICOS LUDOS SPECTAVERINT

NECNE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

Octavius NAVARRE

Litteras graecas in Facultate Litterarum Tolosana docens.

TOLOSAE

EDEBAT E. PRIVAT BIBLIOPOLA

VIA DICTA DES TOURNEURS, 45

MDCCCC

OPTIMO VIRO

ET PERITISSIMO MEDICO

G. COUPARD

Hoc grati animi pignus,

D. D. D.

I.

PROLEGOMENA.

§ 1. — *Quas varias opiniones viri docti de re proposita exprompserint.*

Saepissime abhinc annos centum num athenienses mulieres scaenicos ludos spectaverint disputatum est. Neque tamen ad exitum quaestio adhuc venit. In tres enim partes viri docti discesserunt, alii nullis, alii cunctis, alii tragicis tantum ludis muliebrem sexum interfuisse persuasum habentes. Quae cum ita sint, denuo rem ipse diligentius inspicere destino. Neque id ad Graecorum artem ludicram magis cognoscendam sine usu fore opinor : nam tragicae et praesertim comicae poesis, ut M. Tullii verbis parum mutatis utar, semper moderatrix fuit auditorum prudentia[1]. Praeterea ejus-

1. Verisimiliter igitur, quanquam, mea quidem sententia, haud

modi erit haec disquisitio quae de atheniensium mulierum moribus et condicione nos erudiat.

Sed primum unde orta sit controversia et qui viri praecipuas in ea egerint partes breviter praedicamus.

Omnium primus Casaubonus rem attigisse mihi videtur. Is enim in commentariis quos ad Theophrasti *Characteras* scripsit, locum quendam annotans [1], mulieribus graecis licuisse omnes ludos spectare praeteriens pronuntiaverat. Quanta autem viri illius fuerit auctoritas ex hoc vide : in eam sententiam posteri omnes, causa fere incognita, docilius quam prudentius concurrerunt. Eamque apud Bartholomaeum nostrum in *Itinere juvenis Anacharsidis* etiam invenias [2].

Laudandus igitur vir Germanicus Boettigerus quod, nova rei quaestione habita, non ab antiquorum testi-

vere, scripsit gallica mulier, litterarum peritissima : « On se demande avec étonnement, en lisant les comédies d'Aristophane, comment il se peut qu'on ait applaudi de semblables pièces dans le siècle de Périclès... L'exclusion des femmes empêchait que les Grecs ne se perfectionnâssent dans la comédie. Les auteurs n'ayant aucun motif pour rien ménager, rien voiler, rien sous-entendre, la grâce et la finesse devaient nécessairement manquer à leur gaieté. » (Mme de Staël, *De la littérat.*, ch. III.) Sed quae in contrarium sensit E. du Méril (*Histoire de la comédie*, I, p. 485), vide infra, p. 57. — Similis de Euripide quaestio oritur, praesentibusne feminis annon ille muliebrem sexum tot probris vexaverit.

1. *Char.* V. Vid. ed. Fischer 1763, cum comment. Casaub., p. 71.

2. Barthélemy, *Voyage du jeune Anacharsis en Grèce*, t. II, ch. XI, *Séance au théâtre*, *s. init.* : « Les femmes se plaçaient dans un endroit qui les tenait éloignées des hommes et des courtisanes. » (Aristoph.. *Eccl.*, v. 22. Schol., *ibid.*)

moniis sed a sola Casauboni asseveratione hanc hominum doctorum consensionem defluxisse sensit. Itaque anno MDCCXCVI disputatiunculam, quae inscribebatur : *Num Athenis mulieres ludos scaenicos spectaverint*, edidit[1]. In qua illud primum arte tenet, athenienses mulieres in gynaeceo ita segregem vitam egisse ut cuiquam in publicum prodire nunquam licuerit. Alterum ex eo argumentum sumit, quod nemo scriptor graecus de muliere quadam artem ludicram spectante mentionem injecerit, cum ad id tot loci, praecipue in Athenaei *Dipnosophistis*, vel in Luciani *Meretreciis sermonibus*, vel in Alciphronis et Aristaeneti *Eroticis epistulis*, ansas darent. Deinde, quantum ad tragoedias attinet, negat Euripidem tot et tantis contumeliis mulieres prosecuturum fuisse, si quae in theatro adfuissent. Comoedias vero, qua verborum turpitudine sint, a solis viris esse auditas existimat. Haec praecipua disputationis capita. Praeterea scriptor aliquot testimonia, quae quis adversus opinionem suam afferre possit, confutat (Schol. ad Aristophan., *Ecclesiazus.*, v. 21-23; — Pollux, IX, 44; II, 56; X, 67; — [Plutarch.], *Aeschyli vita*), necnon eam duobus Aristophanis locis confirmare conatur (*Aves*, v. 794-798; — *Thesmophoriaz.*, v. 393 sq.).

Insequente anno, confutandi Schlegelii causa[2], qui, gravissimo quidem Platonis loco (*Leg.*, II, p. 658 A) fretus, e tragoediis graecas mulieres exclusas esse nega-

1. Böttiger, *Kleine Schriften*, t. I, pp. 295-307 = *Wieland's deutsch. Merkur*, 1796, 1 St.

2. Fr. Schlegel, *Die Griechen und Römer*, I, pp. 312 sq.

verat, Boettigerus alteram disputationem scripsit, in qua sententiam suam denuo aperit[1]. Prioribus tamen argumentis nihil addit, nisi quod ipsis adulescentibus ante decimum et octavum annum theatrum non patuisse temere affirmat.

In tertia dissertatione, quam anno MDCCCVIII edidit[2], Boettigerus Boeckhio[3], qui Schlegelii sententiam duobus aliis Platonis locis (*Leg.*, VIII, 817 A; *Gorg.*, 502 C) firmaverat, respondere studet[4]. Eum vero loco cedere jam manifestum est. Nam duo praecipua, quae magna vi prius abnuerat, invitus et quasi inscius ibi concedit : primum fieri casu potuisse ut mulieres quaedam ex infimo loco natae in theatrum irreperent[5], deinde tragoediis pueros interfuisse.

Inter viros qui postea controversiae se interposuerunt imprimis appellandi, ut opinor, sunt Passovius et Beckerus et Dumerillus noster.

Anno enim MDCCCXXXVII Passovius[6] scriptum, breve quidem sed arte et via meditatum, protulit. Tra-

1. *Kleine Schriften*, t. I, pp. 308-312 = *Wieland's deutsch. Merkur*, 1797, 3 St.

2. *Kleine Schriften*, t. I, pp. 313-320 = *Morgenbl.* 1808, n. 309-311.

3. A. Böckh, *Graec. tragoediae principes*, 1808, pp. 37-38.

4. Perseverantiam sententiae adhuc retinuit Boettigerus in *Aldobr. Hochzeit*, p. 137.

5. Ipsa scriptoris verba haec sunt : « ...manche Dame von der Halle, manche Poissarde, und Obstverkäuferin, auch wohl manches Mädchen von gutem Willen dort Zutritt gefunden haben » (p. 315).

6. Passow, *Ueber d. Theaterbesuch der athen. Frauen*, in *Zeitschrift f. d. Alterthwiss.* 1837, n. 29, pp. 241-8.

goediis is mulieres admissas esse, ut e quibusdam scriptorum locis ([Plutarch.], *Aeschyli vita;* — Plato, *Leges,* II, 658 A; VII, 817 A; *Gorgias*, 502 C; — Aristophan., *Ranae*, v. 1050), ita e sublimi et heroica tragicarum fabularum natura colligit[1]. Quin autem comoediis abfuerit muliebris sexus duas praecipue ob causas, a Boettigero jam allatas, non dubitat : primum quod in abdito mulieres graecae vixerint, deinde quod quicquam Aristophanis fabulis inverecundius excogitari non possit. Quibus argumentis hoc tertium satis subtiliter ex suo adjicit : Aristophanem, quamvis ceteros omne genus spectatores in cunctis fere fabulis irridere et lacessere soleat, mulieribus contra omnino pepercisse[2]. Postremo testimoniorum magnam vim Passovius percenset, alia suae sententiae non repugnare probaturus, aliis eam roborari (Aristophan., *Pax,* v. 965; *Ecclesiaz.*, v. 20 et schol.; — Pollux, IX, 44; II, 56; IV, 121; VI, 158; X, 67; — Alciphro, *Epistul.*, II, 3 et 4; — Aristophan., *Aves*, v. 795; *Thesmophoriaz.*, v. 395). « Videmus igitur, inquit, Graecos, cum omnium quae vere pulchra et elata sunt muliebrem sexum participem fecissent, eum contra a comicis spectaculis quae res in pejus detorqueant amovendum exquisite judicasse[3]. »

1. Fatendum tamen paulo antea Jacobsium (*Verm. Schriften*, IV, p. 272) in eandem jam ivisse sententiam. — De quaestione M. Meierus, sed strictim et parum diligenter in *Allgem. Lit. Zeit.*, 1836, n. 119, p. 317 ipse disputaverat.

2. Aristophan., *Pax*, 50. *Nub.*, 1104. *Vesp.*, 73. 78. *Ran.*, 276. 296.

3. Cum Passovio fecerunt G. Bode (*Geschichte der dramatisch.*

Copiosius anno MDCCCXXXX Beckerus in *Excursu* quodam ad librum qui *Charicles* inscribitur in eandem sententiam disseruit[1]. Qui primum controversiae summam talibus verbis aptissime descripsit : « Animadvertendum est nullum apud scriptores esse locum quo feminarum praesentia negetur, argumentorumque quae objiciuntur alia natura perpetualia esse, alia e praesumptis antiquorum moribus aut e scriptorum silentio ducta... Item contra feminas spectatum esse admissas nusquam quidem directe asseritur; id vero multi loci, si libero et integro animo acceperis, significant. Quos hujus opinionis dissuasores magno negotio avertere tentaverunt. At, si vel unum de re testimonium adforet, ejectis tot arcessitis interpretationibus, quae ipsi loci praebent statim acciperemus. » Haec valde probanda. Errat tamen Beckerus, dum aliquod ejusmodi testimonium apud Satyrum scriptorem (*Athen.*, XII, p. 534 C) sibi videtur invenisse. Sed levis hic error, quia cetera omnia, e quibus feminas tragoediis adfuisse appareat, diligenter tamen congessit et enucleavit. De comoediis contra nimis jejune argumentatus est, nihil fere aliud allegans nisi quod talia spectacula a solis viris tolerari potuerunt[2].

Dichtkunst der Hellenen, 1839, t. I, p. 124 et n. 5) et C. Geppert (*Die altgriechische Bühne*, 1843, p. 111, n. 2). Addit tamen hic : « Die Hetären werden schwerlich zu Hause geblieben. »

1. W. A. Becker, *Charikles*, 1840, t. II, pp. 249-269 (*Excurs zur zehnten Scene : Der Theaterbesuch*).

2. Quod ad comoedias, Hermannus in secunda *Chariclis* editione quam curavit (1854) a Beckero dissidet, teste adhibito Aristophane : « Doch wird zuletzt kein anderer Ausweg übrig bleiben

Ad Casauboni sententiam fere primus rediit Dumerillus[1]. Cujus dissertatio, anno MDCCCLXIII scripta, quanquam sane haud spernenda, habet tamen eruditionis

als dass man... in der Sitte und Zucht des weiblichen Geschlechts einen Damm findet... Denn dass selbst Ehefrauen auch in der Komödie anwesend waren, ergiebt schon die vielbesprochene Stelle Aristoph., *Pax*, 964 ff...; nur mögen anständige Frauen solche Gelegenheiten nicht sehr benutzt haben, wie man aus der platonischen Stelle sieht, wo αἱ πεπαιδευμέναι die Tragödien vorziehen... » (t. III, p. 140). — Hermanno assentitur Goellius in tertia ejusdem libri editione (1878) : « Sich für das Nichterscheinen der Frauen in der Komödie auf den Charakter dieser Spiele beziehen zu wollen, während man ihnen die Tragödie frei lässt und damit doch zugleich die Zoten und lasciven Sikinnistänze der Satyristen in den Kauf giebt, ist ein zu starker Widerspruch .... Andererseits mögen aber auch — und hierin stimme ich Hermann bei — anständige Frauen nicht oft das Theater besucht haben. Darauf deutet schon die von Böttiger zu seinem Zwecke benutzte Stelle bei Aristoph. *Av.* 793 hin. » (t. III, pp. 182-3). — Cum Passovio contra concinit Eggerus noster : tantum quod comoediis Menandri et Philemonis, quia ii poetae Aristophane multo decentiores fuerunt et liberior interim facta est muliebris sexus condicio, feminas adfuisse suspicatur (Egger, *Essai sur l'hist. de la critiq. chez les Grecs*, 1849, pp. 504-508). Cf. Idem, *Mém. de littérat. ancienne*, p. 436.

1. Hanc quidem, ante ipsum Dumerillum, jam resumpserat Richterus (*Zur Würdigung des Aristoph. Komödie*, in *Progr. des Friedrichs-Werderschen Gymnasiums*, Berlin, 1845, pp. 20-32), sed paucis et mancis rationibus. Non tamen nihil ille vidit, scribens : « Die Anfänge und Vorläufer des attischen Drama waren Volksvergnügungen, an denen der gesammte Demos theilnahm... Der Dionysoscult war für das ganze attische Volk, d. i. für alle Bestandtheile desselben, wie sie z. B. Plato im *Gorgias* aufzählt... Alle Beschränkungen von denen wir überhaupt wissen betreffen nicht die Theilnahme des gesammten attischen Demos, sondern die Exsultationem der Komödie sebst, das Hinü-

plus quam judicii et diligentiae[1]. Plurimos enim scriptorum locos pravissime interpretatur, nec quibus temporibus nec de quo spectaculorum genere scripti sint satis curans. Quin in mirum et venia prope indignum errorem incidit, muliebres personas a mulieribus apud Aristophanem actas esse ratus. Inter haec tamen eminent duo utilissima, quae Boettigero et Passovio jure opponit : vitio scilicet Graecorum religionis, quippe quae impudicorum numinum veneratio fuerit, factum esse ut ii pudore fere carerent[2]; praeterea mulieres non tam in arto Athenis esse coercitas ut festis quibusdam et praecipue Bacchi non interessent. Totius dissertationis summa haec est : athenienses feminas, ut nulla lege a theatro esse amotas, ita tamen comicis ludis pauciores adfuisse quam ut poetae propter eas in jocando moderationem adhibere curae haberent.

Multi quidem alii de re postea aliquid exprompserunt.

bergreifen derselben aus dem launigen, sarkastichen Dionysischen Festspiele in die Politk... » (pp. 20-21). Cf. Sommerbrodt, *Berl. Jahrbb.*, 1845, N. 37 = *Scaenica*, 1876, p. 74.

1. Ed. du Méril, *Revue archéolog.*, 1863, VIII, pp. 128 sq. = *Hist. de la comédie*, 1864, I, pp. 475 sq.

2. « Elle (la critique) n'a point suffisamment compris que, sous l'empire d'une civilisation où la religion elle-même n'était qu'une déification souvent cynique de la Nature, on pouvait, malgré une grande sensibilité aux plaisirs de l'esprit et les raffinements d'un goût très développé, n'avoir ni le sentiment des obscénités, ni la répugnance des grossièretés. Elle ne voulait pas admettre qu'un peuple tout entier ait associé à l'élégance du bien dire et au bon goût de la pensée une absence complète de ces susceptibilités morales et de ces pudeurs de l'oreille... » (p. 476).

Qui quae singula argumentati sint, ut infiniti operis fuerit, ita parum utile persequi, quia in transitu plerique judicaverunt, nec quicquam attulerunt novum. Itaque abunde erit quibus quisque partibus faverit dicere.

In Casauboni sententiam, cum alii, tum praecipue ierunt Welkerus[1] et Benndorfius[2] et Blümnerus[3] et A. Müllerus[4] et Haighius[5]. Et ipse in libro qui *Dionysus* inscribitur breviter his assensi[6].

Nec tamen defuerunt qui cum Passovio facerent : inter quos Bernhardius[7] et Madvigius[8] et Lallierus[9] numerandi sunt.

1. Welker, *Scenische Studien* in *Philolog.* XXXI (1872), p. 457.

2. O. Benndorf, *Beiträge zur Kenntniss des attisch. Theaters* in *Zeitschrift f. die österreich. Gymnasien*, 1875, pp. 11 et 12, n. 1.

3. H. Blümner in *K. F. Hermann's Lehrbuch der griech. Antiquitäten*, IV. Bd. *Die griech. Privatalterthümer*, 3. Auflage 1882, p. 73, n. 1.

4. A. Müller, *Lehrbuch der griech. Bühnenalterthümer*, 1886, pp. 289-291 cum notis.

5. A. Haigh, *The Attic Theatre*, 1889, pp. 294-302. Cf. p. 363 sq. alterius editionis, 1898.

6. O. Navarre, *Dionysos, étude sur l'organisation matérielle du théâtre athénien*, 1895, pp. 230-236.

7. Bernhardy, *Grundriss der griechisch. Litteratur*, 3. Aufl. (1872) II², pp. 131-132 = 2. Aufl. II, p. 123. Ipsis tragoediis Bernhardius feminas admissas esse dubitanter ponit : « Eher erwartet man dass Frauen die Tragödie schauten, denn der Ton des tragischen Gedichts konnte sie nicht verscheuchen; doch ist das so leicht nicht zu erweisen... » Ceterum totus is locus erroribus scatet.

8. Madwig, *Kleine philolog. Schriften*, 1875, p. 456, n. 1.

9. Lallier, *De la condition de la femme athénienne*, 1875,

Denique ipsa Boettigeri opinio paucos adhuc fautores habet, Bergkium[1] et Oemichenium[2].

p. 79. — Vide etiam Couat, *Aristophane et l'ancienne comédie attique*, p. 377, n. 1. Guhl et Kohner, *La Vie des Grecs*, p. 395 (trad. Trawinski), 1884. Grasberger, *Erziehung und Unterricht im klassisch. Alterthum*, 1881, p. 513. Schömann, *Griech. Alterth.*, 1897 (ed. Lipsius), I, p. 558. Wachsmuth, *Hellen. Alterthumskunde*, II, p. 390.

1. Bergk, *Griechisch. Literaturgeschichte*, 1884, III, pp. 49-50. Qui probationibus a Boettigero emissis duas has novas adjungit : 1. « Dann würde der Umfang des Theaters, so geräumig er auch war, schwerlich ausgereicht haben, da man diese Erlaubniss doch nicht auf eine bestimmte Zahl beschränken und so ein gehässiges Privilegium schaffen durfte » (p. 49). — 2. « Wenn man gemeint hat, die Theilnahme der Frauen sei auf die Tragödie zu beschränken, so erscheint auch dieser vermittelnde Versuch nicht glücklich, wenn man bedenkt, dass am demselben Tage in unmittelbarer Folge Lustspiele und Trauerspiele aufgeführt wurden » (p. 50). Non potuit tamen Bergkius quin nonnulla cum prioribus parum convenientia concederet : « Es ist nur ein Missbrauch, wenn in der Zeit des Plato und später einzelne Frauen und Kinder mitbrachten... Plato, *Gorg.* 502 D nennt geringschätzig das Publikum der Dichter im Theater : δῆμον παίδων τε ὁμοῦ καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ δούλων καὶ ἐλευθέρων.. Dass er aber nur factische Zustände schildert, nicht von einem Rechte die Rede ist, beweist schon die Erwähnung der δοῦλοι » (p. 50 et n. 166).

2. G. Oemichen, *Das Bühnenwesen der Griechen und Römer*, 1890, § 27, p. 207. Concedit is, teste Platone, feminis fuisse jus tragoedias spectandi, sed eo non esse usas opinatur : « Doch ob Recht, ob nicht, das ist für die Bühnenkunde wenig wesentlich ; Thatsache ist dass Frauen und Kinder in dieser Zeit den dramatischen Aufführungen in der Stadt nicht beizuwohnen pflegten. Für die Tragödienaufführungen geht dies zwar nicht aus den Zeugnissen hervor aber doch aus der Grösse der Stadt und des Theaters... » De quo argumento vide p. 28.

§ 2. — *Multa testimonia, a re aliena, ejiciuntur.*

Cognito quae de re proposita ceteri senserint, nostram nunc sententiam aperire expedit. Sed prius multa antiquorum scriptorum testimonia ab iis allata, quia ad quaestionem nihil attinent, extrudamus necesse est.

I. — Quaecumque testimonia quarto aut saltem tertio ante Christum saeculo inferiora sunt, ob id quod fieri potuit ut a pristina consuetudine recentiores Graeci discederent, ejicienda puto.

Quorum in numero sunt, exempli causa, illa feminarum nomina atheniensis theatri sedibus inscripta : nam secundo ante Christum saeculo nullus titulus antiquior, plerique vero imperantibus Augusto et Hadriano et Septimo Severo esse incisi videntur[1].

1. *C. I. A.*, III, n. 282, 313, 315, 316, 318, 319, 321, 322, 324, 325, 327, 338, 342, 343, 345, 350, 353, 358, 359, 361, 365, 367, 376, etc. Sicut non certa, ita tamen probabilia quae Bergk, *Griech. Literaturgesch.*, III, p. 49, n. 163 de iis titulis dixit : « Dass im Theater zu Athen später zahlreiche Plätze für Priesterinnen und Jungfrauen, wie die Hersephoren, bestimmt waren, ist erst in der Zeit der römischen Herrschaft aufgekommen. Unter den Sesseln der vordersten Reihe sind nur zwei Frauen angewiesen ; der eine trägt den Namen der Athenion, Priesterin der Athene (die in der zweiten Hälfte des zweiten Jahrhunderts n. Chr. lebte [*C. I. A.*,

Ejusdemmodi est quod in *Aeschyli vita* narratur, quasdam mulieres in theatro per actum *Eumenidarum* fetum metu abegisse. Est enim haec *Vita* fabularum farrago, ex omni aetate auctoribus temere excerpta[1].

II. — Nonnullis scriptorum locis, e quibus feminas in theatrum quidem venisse exstat, non multo magis tamen adjuvamur, quia eas omnibus qui in theatro darentur ludis admissas esse inde non sequitur. Itaque historiunculam illam, quam e Satyro, scriptore tertii ante Christum saeculi, excerptam Athenaeus tradidit, contra ac censuit Beckerus, haud magni facio : περὶ δὲ τοῦ καλοῦ Ἀλκιβιάδου Σάτυρος ἱστορῶν · λέγεται, φησὶν, ὅτι..., ὅτε χορηγοίη πομπεύων ἐν πορφυρίδι, εἰσιὼν εἰς τὸ θέατρον ἐθαύμαζετο οὐ μόνον ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν γυναικῶν[2]. Cuinam enim choro Alcibiades praeierit, tragoedorum an comoedorum an virorum an puerorum an pyrrichistarum an denique tibicinum non dicitur.

III. — Ad dirimendam controversiam minus etiam valent ea testimonia quae de meretricibus sunt. Propria enim libertate Athenis meretrices fruebantur : in publicum prodire concessum, et cum viris versari, et in convi-

III, 1, 282]), der andere hat die Aufschrift ἱερείας Ἡλίου, warscheinlich der gleichen Zeit angehörend [*C. I. A.*, III, 1, 313]. » Cf. Dörpfeld-Reisch, *Das griechische Theater*, 1896, pp. 46 sq. et 93.

1. τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον ὡς τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.

2. Satyrus, *ap.* Athen., XII, p. 534 C.

viis accumbere; adeo ut etiam scaenicis ludis eas adfuisse non mirum sit. Sed hoc in matronas transferre prorsus est ineptum. Quam ob causam fictae illi Alciphronis epistulae non multum tribuo, in qua Menander ad Glyceram scribit[1] :

Οὐκ ἀλλάττομαι μὰ τὸν Διόνυσον καὶ τοὺς Βακχικοὺς αὐτοῦ κισσοὺς οἷς στεφανωθῆναι μᾶλλον ἢ τοῖς Πτολεμαίου βούλομαι διαδήμασιν ὁρώσης καὶ καθημένης ἐν τῷ θεάτρῳ Γλυκέρας.

nec Glycerae responsioni[2] :

Τοῖς προσκηνίοις ἕστηκα τοὺς δακτύλους ἐμαυτῆς πιέζουσα ἔστ' ἂν κροταλίσῃ τὸ θέατρον.

Hanc enim meretricie vixisse accipimus. Eadem condicione procul dubio fuit Melissa quaedam, cui cognomen fuisse θεατροτορύνην Athenaeus perhibet[3].

IV. — Superiorum vix dissimiles sunt loci quidam, in quibus utrum meretrices an matronas scriptor significaverit parum liquet. Inter quos praecipue illos Aristophanis versus (*Pax*, v. 964 sq.) afferam, de quibus infra pluribus, p. 63.

V. — Omnium denique meritissimo sunt antiquandi aliquot loci, qui eorum vitiorum non uno tantum, sed plu-

1. Alciphr., *Epistul.* II, 3.
2. *Ibid.*, II, 4. Temere Meineke τοῖς παρασκηνίοις conjectavit.
3. IV, p. 157 A.

ribus laborant. Quod duobus iis quos infra subscripsimus accidit :

1. Οὔτε τῶν πολιτῶν (οὐδείς ἐστιν) ᾧ μὴ θέαμα παρέχεις ἐν ἱεροῖς καὶ θυσίαις καὶ θεάτροις τὴν σεαυτῆς ἀφέλειαν (Plutarch., *Consolatio ad uxorem*, 5).

2. Ἔτι γὰρ τοῦτό μοι τὸ λοιπὸν ἦν... καθῆσθαι μέσον ἐν τοῖς γυναίοις καὶ τοῖς μεμηνόσιν ἐκείνοις θεαταῖς (Lucian., *de Saltatione*, 5).

II

QUAESTIO PRIOR : NUM ATHENIENSES MULIERES TRAGOEDIAS SPECTATUM ADMISSAE SINT.

---

§ 1. — *Antiquorum testimoniorum disquisitio.*

Tragicis ludis interfuisse graecas mulieres pauci, ut vidimus, viri docti, sed hi non mediocres, Boettigerus quondam, nunc Bergkius atque Oemichenius, negaverunt. Quorum digna sane est sententia quam diligenter consideremus.

Tribus Platonis locis tota fere, ut mihi videtur, continetur controversia :

1. — In libro *de Legibus*, II, 658 A, scriptum est, si quis omne genus ludos institueret, praemio illum qui spectantes maxime delectaret donaturus, fore ut ii de victore nequaquam convenirent, sed praestigiatori parvuli palmam darent, comoedis pueri jam majores, tragoedis

cum feminarum eruditae tum adulescentes et fere omnis populus, rhapsodis denique senes :

— Εἰ μὲν τοίνυν τὰ πάνυ σμικρὰ κρίνοι παιδία, κρινοῦσι τὸν τὰ θαύματα ἐπιδεικνύντα, ἢ γάρ;

— Πῶς γὰρ οὔ;

— Ἐὰν δέ γ' οἱ μείζους παῖδες, τὸν τὰς κωμῳδίας · τραγῳδίαν δὲ αἵ τε πεπαιδευμέναι τῶν γυναικῶν καὶ τὰ νέα μειράκια καὶ σχεδὸν ἴσως τὸ πλῆθος πάντων;

— Ἴσως δῆτα.

Tentavit Boettigerus ejus testimonii fidem labefactare, de re ficta sermonem esse dicens ex qua veram Atheniensium consuetudinem conjectare non liceat[1]. Sed prorsus absurdum hoc est. Quid enim refert rem esse fictam, si ad veri imitationem Plato eam finxerit? Quod, ut opinor, nemo sanus quidem in dubitationem vocabit. Addit haec Boettigerus : « Locus qui nimis probat, idem nihil probat. Quod ibi accidit. Nam si mulieres scaenicorum ludorum participes fuisse ex hoc colligas, non est cur ipsos pueros et juvenes ab iis arceas. Illud vero pro certo habendum est atheniensibus juvenibus non ante decimum et octavum annum theatrum adire licuisse[2]. » At in hoc Boettigerus graviter errat : nam plures et Aris-

1. Böttiger, *Kl. Schriften*, p. 310 : « Und nun frage ich : spricht Plato in dieser Stelle überhaupt von Athen oder nur von seinem idealisirten Staate? Spricht er, wenn er auch Athen dabei im Sinne gehabt hätte, von einer wirklich bestehenden Sitte, oder spricht er nur hypothetisch? » Cf. p. 314.

2. *Ibid.*, p. 310.

tophanis et Eupolidis et Luciani loci pueros non tragicis[1] tantum sed etiam comicis[2] spectaculis admissos esse planum faciunt.

2. — Altero ejusdem operis loco jubet Plato, si tragoedorum grex in perfectam illam quam sibi finxerit civitatem adveniat, eos talibus verbis excludi : Μὴ δὴ δόξητε ἡμᾶς ῥᾳδίως γε οὕτως ὑμᾶς ποτε παρ' ἡμῖν ἐάσειν σκηνάς τε πήξαντας κατ' ἀγορὰν καὶ καλλιφώνους ὑποκριτὰς εἰσαγαγομένους, μεῖζον φθεγγομένους ἡμῶν, ἐπιτρέψειν ὑμῖν δημηγορεῖν πρὸς παῖδάς τε καὶ γυναῖκας καὶ τὸν πάντα ὄχλον (VII, 817 C).

His Boettigerus eadem ac prioribus objicit[3], non justiore tamen jure. Nam quis credat tam absurdum fuisse scriptorem ut tragoedis diceret : « Ne sperate vobis nos

1. De scaenicis et praecipue de tragicis ludis vide Theophrasti *Charact.* IX et XXX (quos locos attulimus, p. 56); Isae., *de heredit. Cironis,* 15 : εἰς Διονύσια εἰς ἀγρὸν ἦγεν (ὁ πάππος) ἀεὶ ἡμᾶς, καὶ μετ' ἐκείνου τε ἐθεωροῦμεν καθήμενοι παρ' αὐτόν ; Pausan., I, 3, 3 : ὅποσα ἤκουον (οἱ πολλοί) εὐθὺς ἐκ παίδων ἔν τε χοροῖς καὶ τραγῳδίαις.

2. Eupolid. *fragm.* (apud Aristotel., *Ethic. Nicomach.*, IV, 2) : γελῶσιν, ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία. Aristophan., *Pax,* 50 : ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις ... φράσω. *Ibid.*, 766 : πρὸς ταῦτα χρεὼν εἶναι μετ' ἐμοῦ | καὶ τοὺς ἄνδρας καὶ τοὺς παῖδας. *Nub.*, 537 : ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει (ἡ κωμῳδία) σκέψασθ' · ἥτις πρῶτα μὲν | οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκύτινον καθειμένον, | ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως. Lucian., *Anachars.*, 22. Aristotel., *Politic.*, IV (VII), 17, p. 1336 *b*, 20. Quanquam nihil dubii tot et tam clara testimonia relinquunt, Richterus denuo post Boettigerum puerorum praesentiam negavit (*Zur Würdig. d. Aristoph. Komödie,* p. 20) ; qui servos, non pueros graecis vocabulis παῖδες et παιδία vult significari. Vide etiam Bergk, *Griech. Literaturgesch.*, III, p. 49 n. 163, et p. 50 n. 166.

3. *Ibid.*, p. 314 : « idealische Gesetzgebung ».

uxores nostras publice compellandi facultatem facturos », si ii talia obloqui jure potuissent : « Quid deliras, inepte? Nihil ejusmodi rogamus, qui graecis legibus et moribus id esse prohibitum non ignoremus. »

3. — In *Gorgia* haec etiam legimus (502 C) :

— Φέρε δή, εἴ τις περιέλοιτο τῆς ποιήσεως πάσης τό τε μέλος καὶ τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸ μέτρον, ἄλλο τι ἢ λόγοι γίγνονται τὸ λειπόμενον;

— Ἀνάγκη.

— Οὐκοῦν πρὸς πολὺν ὄχλον καὶ δῆμον οὗτοι λέγονται οἱ λόγοι;

— Φημί.

— Δημηγορία ἄρα τίς ἐστιν ἡ ποιητική;

— Φαίνεται.

— Οὐκοῦν ἡ ῥητορικὴ δημηγορία ἂν εἴη, ἢ οὐ ῥητορεύειν δοκοῦσί σοι οἱ ποιηταὶ ἐν τοῖς θεάτροις;

— Ἔμοιγε.

— Νῦν ἄρα ἡμεῖς εὑρήκαμεν ῥητορικήν τινα πρὸς δῆμον, τοιοῦτον οἷον παίδων τε ὁμοῦ καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ δούλων καὶ ἐλευθέρων, ἣν οὐ πάνυ ἀγάμεθα · κολακικὴν γὰρ αὐτήν φαμεν εἶναι.

— Πάνυ γε.

— Εἶεν · τί δὲ ἡ πρὸς τὸν Ἀθηναίων δῆμον ῥητορικὴ καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι δήμους τοὺς τῶν ἐλευθέρων ἀνδρῶν.

Firmiorem esse hunc locum praecedentibus Boettigerus concedit : « Mulieres, inquit, ibi in spectantium numero a Platone adscribi existimo. Sed istae quali fuerint condicione vel ex eo cognoscimus quod una cum servulis inducuntur. Ejusmodi quidem testimoniis adduci non possum ut Elpinicen vel Ischomachi uxorem vel ipsam Lysistratam credam in theatro inter viros alienos unquam ver-

satas esse[1]. » Quae de servis dicuntur Boettigerum perverse, ne dicam dolose, esse interpretatum patet : ii enim non mulierum comites sunt, sed paedagogi. (Theophrast., *Character.*, IX.) Sed quid refert? Totum in eo est quod quae antea affirmaverat scriptor, invitus quidem et re potius quam verbis, retractat.

De tragoedia dicet forsan aliquis controversiam triplici hoc testimonio jam profligari; et ipse sic judico. Fatendum tamen, ut Boettigero, ita recentioribus quoque viris, Bergkio, Oemichenio[2] aliisque aliter visum esse. Quorum argumenta, ne qua de re supersit dubitatio, momento suo ponderemus oportet.

1. Primum miratur Bergkius cur nullus antiquus scriptor in mentionem sedium, muliebri sexui in theatro addictarum, inciderit[3]. Quid vero mirum, cum qua ratione cavea ordinata sit fere nos lateat? Nihil enim aliud novimus nisi in Larissaeo theatro dionysiacos artifices seorsum a ceteris spectatoribus consedisse[4], in Melio adulescentes et hymnodos[5], in Mantiniensi *gerusiam*[6],

1. *Ibid.*, pp. 314-315. Cf. p. 319, ubi Boettigerus ludis abfuisse dicit omnes mulieres « die nicht zur leichten Klassen gehörten oder auf dem Markte feil hielten. »

2. Vide supra p. 16, n. 1 et 2.

3. Bergk, *Griech. Literat.*, III, p. 49 : « Thatsache ist dass nirgends abgesonderte Plätze für Frauen oder Kinder erwähnt werden, und eine solche Einrichtung war doch unerlässlich. »

4. Ussing, *Inscript. ined.*, 15, p. 26. Foucart, *De colleg. scenicis*, p. 50.

5. *Annali d. instit.*, 1829, p. 344. *C. I. G.*, II, n. 2436.

6. Fougères, *Bull. de corresp. helléniq.*, XIV, p. 249. Idem, *Mantinée et l'Arcadie orient.*, p. 168.

in Atheniensi senatores, ephebos, peregrinos[1]. Attamen multo plures in partes caveam esse divisam nemo vocabit in dubium[2]; unamque ex iis propriam feminarum fuisse nonnulli scriptorum loci, de quibus singulis infra dicemus, indicant. (Aristophan., *Ecclesiazus.*, v. 20 et schol.; — Theophrast., *Character.*, IX, XXX; — Pollux, IX, 44.)[3]

2. Alterum indicium ex ipsa Atheniensis theatri capacitate Bergkius ducit[4]. Quod postea Oemichenius in suum vertit his verbis : « Ineunte, inquit, peloponnesiaco bello plus trigenta milia civium et quindecim fere milia metoecorum procul dubio in Attica erant. Quorum plerosque, pro singulari quo in rem ludicram flagrabant studio, in theatrum, praeter peregrinos, venisse credibile est. Theatrum autem vigenti milia septingentas quinquaginta sedes ad summum continebat, immo, si Mahaffio[5] credas, quindecim tantum milia. Ita fit ut nihil prope spatii feminis reliquum fuerit[6]. » Verum vitiose id concluditur.

1. Aristoph., *Aves*, 794, et schol. Hesych. s. v. βουλευτικόν. Suid. s. v. βουλευτικός. Poll. IV, 122. Quod ad peregrinos, id ex Alexidis quodam fragmento (Poll. IX, 44) sequitur : de quo vid. p. 60, n. 2.

2. Benndorf, *Beiträge...*, p. 6.

3. Vid. pp. 27. 57. 60. 61. 63, n. 1. — De caveae divisione in Dionysiaco theatro nuperrime disseruit J. N. Svoronos (in *Journal internat. d'archéologie numismatiq.*, t. I, 1898, pp. 36 sq. περὶ τῶν εἰσιτηρίων τῶν ἀρχαίων). Cujus disputatio, elegans quidem et sagax, rem de qua agimus non attingit.

4. Bergk, *op. l.*, p. 49.

5. *Academy*, 1889, nº 887. Plato theatrum 30,000 spectatorum capax fuisse dicit (*Conviv.* 175 E); Dörpfeld vero 14,000 aut, ad summum, 17,000. (*Das griech. Theater*, 1896, p. 44.)

6. Oemichen, *Bühnenw. der Griech. und Römer*, p. 207.

Nam, ut Atheniensium bona quidem pars a ludis, deficiente spatio, exclusa sit, utrumque certe sexum verisimile est, donec ad sedendum locus vacaret, nullo discrimine facto, admissum esse. Accedit quod jam diximus, fieri potuisse ut feminae suas sedes, quibus viri uti vetarentur, in secreta quadam parte theatri haberent.

3. Unum denique restat argumentum, quod primus Boettigerus sic exposuit : « Apud Athenienses matronis virginibusque praecipuum et fere sacrum agendi praeceptum fuit nunquam foras exire... Tantum a scaenicis spectaculis abhorret verecunda ea atque umbratilis vita, quae mulieribus injungebatur, ut publicae offensioni illud profecto fuisset, si quae in theatri subselliis inter alienos viros sedentem sese ostendisset[1]. » Sed de ea asseveratione, quia multo magis ceteris ponderis speciem habet, fuse latiusque disputandum : cui operi insequens caput totum dicabo.

1. *Klein. Schrift.*, p. 311. Cf. p. 318.

§ 2. — *Argumentum ex atheniensium mulierum secreta et umbratica vita ductum refellitur.*

Viri docti de atheniensium feminarum condicione indiligenter, ut mihi videtur, plerique judicaverunt. Qui per graecos mores non licuisse eis foras exire affirmant, immo eas in ultimis aedibus sedere solitas[1]. Qua de re testem gravissimum proferunt C. Nepotem, qui romanarum mulierum libertati graecarum servitutem his verbis opponit : « Ea pleraque nostris moribus sunt decora, quae apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias non primum locum tenet aedium, atque in celebritate versatur? Quod multo fit aliter in Graecia : nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum; neque sedet,

1. De Pauw, *Recherch. sur les Grecs*, t. I, pp. 88 sq., 146 sq.; Meiners, *Gesch. d. weibl. Geschlecht.*, I, pp. 315 sq.; Böttiger, *Kl. Schrift.*, *l. ll.*; Jacobs, *Verm. Schrift.*, IV, pp. 159-307; Limburg-Brouwer, *Hist. de la civilisat. des Grecs*. t. IV, p. 80 sq., 195 sq.; Wachsmuth, *Hellen. Alterthumsk.*, II, pp. 384 sq.; Becker, *Charikles*, ed. Gull, III, pp. 308 sq.; Lallier, *De la condit. de la femme dans la famille athén. au Ve et au IVe siècle;* Iwan Müller, *Die griech. Privatalterth.*, p. 446 d.; H. Blümner, *Griech. Privatalterth.*, p. 72; Guhl et Koner, *La Vie antique*, 1re part., *La Vie des Grecs*, trad. Trawinski, p. 260.

nisi in interiore parte aedium, quae gynaeconitis appellatur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus[1]. » Huic testimonio facile plurimos addas locos, cum e tragicis poetis tum imprimis ex Euripide sumptos, e quibus τὸ οἰκουρεῖν inter praecipuas graecarum virginum et matronarum virtutes habitum esse constat[2]. Praeterea quid eo Xenophontei *Oeconomici* capite magis notum, quo scriptor, inter maritum et uxorem domestica officia dispertiens, illi exteriorem vitam, huic interiorem proprie attribuit[3]?

1. Gravia sane haec testimonia. Vehementer tamen, ut opinor, erres, si de cunctis feminis esse dicta credas. Nam C. Nepotem, cum oratorum et imperatorum et regum vitas enarrare sibi proposuerit, de horum filiabus et uxoribus potissimum cogitavisse liquet. Item reginarum mores tragici poetae effinxerunt. Necnon a nobili et divite genere fuit uxor illa Ischomachi, in qua ipsius Xenophontis uxorem jure agnoscas. Falso igitur quae de paucissimis mulieribus dicuntur, in universum viri docti acceperunt. Horum erroris documento sit exemplum, e nostris moribus sumptum. Quippe apud nos virginibus ex honesto loco natis indecorum est, nisi comitante matre aut saltem ancilla, per vias prodire. Ponamus vero fore

1. Corn. Nepos, *Praef.*

2. Euripid., *Heraclid.*, 476 : γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν | κάλλιστον, εἴσω θ' ἥσυχον μένειν δόμων. *Troad.*, 642. *Electr.*, 516. Sophocl., *Oedip. Col.*, 342. *Antigon.*, 578-579. Menand. *ap.* Stobae., *Florileg.*, LXXIV, 11. Cf. Plato, *Respubl.*, IX, 579 B. *Leg.*, VI, 781 C. *Meno*, 71 E.

3. Xenoph., *Oeconomic.*, VII, 30.

ut post aliquot saecula aliquis hoc universis gallicis virginibus applicet : magnopere is falleretur. Haud secus in Graecia eas mulieres publico caruisse concedo, quibus multa essent mancipia. In opulentis familiis uxor iis partibus quas Xenophon depinxit fungebatur, quae intus fiebant inspiciens, quae foris afferebantur accipiens et ordinate disponens, nunquam egredi coacta. Apud pauperes autem aliter se res habebant : nam mariti adjutrix in operibus femina erat, atque eam saepenumero foras excibant domesticae utilitates. Quod, ut ipsa jam ratio docet, sic etiam Aristoteles notavit. Is enim in *Politicis* de gynaeconomis disserens, quibus in nonnullis Graeciae civitatibus mulierum moribus et ornamentis consulendum fuit, *aristocraticum* dicit, non *democraticum* esse hunc magistratum : πῶς γὰρ οἷόν τε κωλύειν ἐξιέναι τὰς τῶν ἀπόρων[1]? Atque infra : τοῖς γὰρ ἀπόροις ἀνάγκη χρῆσθαι καὶ γυναιξὶ καὶ παισὶν ὥσπερ ἀκολούθοις διὰ τὴν ἀδουλίαν[2]. Ceterum non desunt scriptorum loci quibus plebeias videamus, seu aliquid emendi aut vendendi gratia, seu aquam e fonte hauriendi, seu aliqua de causa libere exeuntes[3].

2. Verum illa libertate non plebeiae tantum, sed etiam omnes aetate jam provectae mulieres fruebantur. Muliebris enim sexus inclusio apud Graecos, quamvis minus

1. Aristotel., *Politic.*, IV, 15, p. 1300 A.
2. *Ibid.*, VI, 8, p. 1323 A.
3. [Demosthen.], *adv. Neaer.*, 67. Phintys, *ap.* Stobae. LXXIV, 61 = Müllach, *Fragm. philosoph. graecor.*, II, pp. 36 sq. Aristophan., *Lysistrat.*, 327. Cf. Becker, *Charikl.*, ed. Göll, III, p. 387.

dura fuerit, ex eadem ferme causa atque apud Turcas oriebatur, maritorum zelotypiam et suspicionem dico. Res viri sui femina habebatur, cum pretiosa, tum caduca; quam ob causam, solitudini et claustris magis quam conjugali foederi fidentes, eam a praesentia et congressu omnium ut cum maxime arcebant. Ipsam igitur, qua viri alieni erga mulieres uti solebant, verecundiam cave ne falso interpreteris[1] : qua minus femineum pudorem reverebantur quam jus et dominium mariti agnoscebant. Quae cum ita sint, mulieres, dum aetate et forma florerent, suo maxime caruisse arbitrio facile intellegitur, at, prout venustas et illecebrae defluerent, liberius in diem se habuisse. Revera Athenis anus foras egrediebantur, nullo reprehendente; quod satis declarant illa nota Hyperidis verba : δεῖ τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκπορευομένην ἐν τοιαύτῃ καταστάσει εἶναι τῆς ἡλικίας ὥστε τοὺς ἀπαντῶντας πυνθάνεσθαι μὴ τίνος ἐστὶ γυνή, ἀλλὰ τίνος μήτηρ[2]. Neque absurdum est eum Demosthenis locum huc afferre, quo Aeschines anuum turbam in honorem dei Sabazii per vias ducens describitur[3]. Apud Plutarchum etiam est Elpinicen illam, Cimonis sororem, cum jam senior esset, in medium procedere et cum viris, praecipue cum Pericle, confabulari solitam[4]. Ceterum hoc juris ipsis Atheniensium legibus

1. [Demosthen.], *adv. Everg. et Mnesibul.*, 60. Cf. 38. Lys. *adv. Simon.* 6. Demosthen., *adv. Mid.* 79. Terent., *Heautontim.*, V, 4, 19.

2. Hyperidis orationes, ed. F. Blass, editio tertia 1894, frag. 205 = Stob. *Florileg.*, LXXIV, 33.

3. Demosthen., *Coron.*, 260.

4. Plutarch., *Vita Pericl.*, 10. *Vita Cimon.*, 14.

quodam modo sanciebatur, quippe quae exsequiis nullam, praeter mortui propinquas, mulierem, nisi sexaginta annos natam, adesse sinerent[1].

3. Sed longius progrediamur : cujuslibet aetatis atque ordinis mulieres multo liberius communi opinione vixisse mihi videntur. Multa enim familiarite et societate vicinas inter se esse conjunctas constat[2]. Vasa scilicet coquinaria, quotiens opus erat, aliae ab aliis mutuabantur[3]; ignem noctu, si forte lucerna exstingueretur, invicem petebant[4]; amicae aegrotanti aut partum enisurae opem ferre moris erat[5]; quin etiam ad cenam inter se vocabant[6], aut ludendi causa in unum congregabantur[7]. Ita saepe esse factum ut mulieres extraneis viris obviae forent, cum per se intellegitur, tum ex hoc ipso *Thesmophoriazusarum* loco patet : ἂν καταδαρθῶμεν ἐν ἀλλοτρίων παίζουσαι καὶ κοπιῶσαι, | πᾶς τις τὸ κακὸν τοῦτο ζητεῖ περὶ τὰς κλίνας περινοστῶν[8]. De hoc feminarum inter se commercio meminit quoque Euripides, ut ex quo prava exempla et exitiosa conjugali concordiae concilia oriantur[9]. Sed ad alias fere cotidia-

1. [Demosthen.], *adv. Macartat.*, 62. Cf. Terent., *Andria*, I, 1, 117 sq.
2. Demosthen., *adv. Callicl.*, 23.
3. Aristophan., *Ecclesiazus.*, 446 sq.
4. Lys., *de caede Eratosthen.*, 14.
5. Aristophan., *Ecclesiazus.*, 528. Plato, *Leg.*, VI, 784 D : τῶν εἰς τοὺς γάμους καὶ γενέσεις παιδῶν φοιτήσεων.
6. Aristophan., *Ecclesiazus.*, 349. Menandri fabula quaedam inscribebatur Συναριστῶσαι, id est *Mulieres comprandentes*.
7. Aristophan., *Thesmophoriaz.*, 794.
8. *Ibid.*
9. Euripid., *Andromach.*, 925. *Troad.*, 653.

nas exeundi occasiones jam venio. Inter quas praecipuam opinor fuisse emptiones faciendi necessitatem. Non equidem me fugit comparandi penus provinciam ad ancillam plerumque aut ad maritum apud Athenienses pertinuisse[1]. Sed tam incuriosas cultus sui mulieres fuisse quis credat ut vestes, et calceamenta, et unguenta, denique omnes munditias non ipsae eligerent? Quapropter illam Herondae fabulam, in qua mulieres calceamenta cupide mirantes et de singulorum pretio cum sutore contendentes inducuntur, tam Atheniensem quam Coiam esse jure dicas[2]. Ferme cotidiane etiam feminas ad templa precatum vel sacrificatum ivisse documento est attica quaedam de adulterio lex, a Pseudodemosthene laudata : ἐφ' ᾗ γὰρ ἂν μοιχὸς ἁλῷ γυναικὶ, οὐκέτ' ἔξεστιν αὐτῇ ἐλθεῖν εἰς οὐδὲν τῶν ἱερῶν τῶν δημοτελῶν, εἰς ὃ καὶ τὴν ξένην καὶ τὴν δούλην ἐλθεῖν ἐξουσίαν ἔδοσαν οἱ νόμοι, καὶ θεασομένην καὶ ἱκετεύουσαν εἰσιέναι · ἀλλὰ μόναις ταύταις ἀπαγορεύουσιν οἱ νόμοι ταῖς γυναιξὶ μὴ εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ...[3]. Quod idem ex his quoque intellegi potest quae apud Aristophanem Lysistrata de sociis moram facientibus queritur : « At eas si quis in aedem Bacchi aut Panos aut Coliadis aut Genetyllidis vocavisset, prae tympanorum multitudine ne

1. Lys., *de caede Eratosthen.*, 8.

2. Herond., *Mimus* VII. — Cf. haec pythagoricae Phintyos apud Stob., *Florileg.*, LXXIV, 61 (= Müllach, *Fragm. philosoph. graec.*, II, p. 36) : τὰς δὲ ἐξόδως ἐκ τᾶς οἰκίας ποιεῖσθαι τὴν γυναῖκα ..... θεωρίας ἕνεκά τινος ἢ ἀγορασμῶ οἰκήω.

3. [Demosthen.], *adv. Neaeram*, 85 sq. Cf. Aeschin., *adv. Timarch.*, 183, qui ejus interdictionis rationem ita affert : ἵνα μὴ τὰς ἀναμαρτήτους τῶν γυναικῶν ἀναμιγνυμένη διαφθείρῃ.

transire quidem posses[1]. » Magis his etiam mirandum quod apud eundem poetam legimus, mulieres ad publica balnea ire solitas[2] : cum praesertim uterque sexus, si Theopompo alteri illius aetatis comico poetae credas, vix subligaculo quodam indutus promiscue lavaretur[3]. De his universis feminarum atheniensium exitibus intellegenda est sumptuaria lex illa Solonis : ἐπέστησε δὲ καὶ ταῖς ἐξόδοις τῶν γυναικῶν καὶ τοῖς πένθεσι καὶ ταῖς ἑορταῖς νόμον ἀπείργοντα τὸ ἄτακτον καὶ ἀκόλαστον, ἐξιέναι μὲν ἱματίων τριῶν μὴ πλέον ἔχουσαν κελεύσας μηδὲ βρωτὸν ἢ ποτὸν πλείονος ἢ ὀβολοῦ φερομένην μηδὲ κάνητα πηχυαίου μείζονα, μηδὲ νύκτωρ πορεύεσθαι πλὴν ἁμάξῃ κομιζομένην λύχνου προφαίνοντος[4]. Eodem pertinet decretum id Philippidis, quo feminae per vias inhoneste se gerentes, auctore Hyperide, mille drachmis mulctabantur[5]. Sed quid plura exempla? Theophrasti *Characteras* potius evolvamus : quo teste nullus de atheniensium mulierum sorte earumque cum viris commercio gravior esse potest, qui id sibi unice proposuerit civium suorum mores et vitam ad verum exprimere. Impurus (βδελυρός), ait Theophrastus, is est qui, si forte *mulieribus*

1. Aristoph., *Lysistrat.*, 1 sq. et schol.

2. Aristoph., *Pax*, 1139 : ubi maritus, dum lavatum exiit uxor, ancillam osculatur. Athenaeus (XIII, 590 F) Phrynen balneis publicis abstinuisse prodit. Cf. [Xenoph.], *Respub. Atheniens.*, II, 10.

3. *Theopomp.* apud *Polluc.*, VII, 66. *Ibid.* X, 181. — Baumeister, *Denkmäl.*, I, p. 243 s. v. *Baden*.

4. Plutarch., *Vita Solon.*, 21.

5. Harpocrat., s. v. ὅτι χιλίας · ὅτι χιλίας ἐζημιοῦντο αἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοσμοῦσαι γυναῖκες Ὑπερείδης ἐν τῷ κατ' Ἀρισταγόρας β' εἴρηκεν. Suid., *eod. verbo*. Cf. Pollux, VIII, 22. Hesych., s. v. πλάτανος.

ingenuis occurrerit, veste subducta pudenda ostendat; vel, si ad haruspicem *mater* exierit, mala consulto verba proferat. Intempestivi (ἄκαιρος) hoc est, cum ad nuptias vocatus sit, in *mulierum* genus invehi. Superstitiosus (δεισιδαίμων) dicitur qui ad *mulierem* puerperam accedere dubitat, vel ad Orpheotelestas cum *uxore* quot mensibus itat. Illiberalis (ἀνελεύθερος), qui, *uxori* dotatae pedisequas recusans, ancillulam quae prodeunti comitetur mercede conducit. Sero institutus (ὀψιμαθής), qui, sicubi *mulieres* adsunt, saltando, ut admirationem sui moveat, se exercet cantillans.

In omni summa graecarum mulierum plerasque nullum intermisisse diem quin foras qualibet de causa prodirent pro certo habeo[1].

4. De deorum sollemnibus obiter jam supra diximus. In iis tamen magis immorandum, ut, contra quam plerique censuerunt[2], non paucorum sed cunctorum festorum athe-

1. Haec tamen de feminarum exitibus inter nostros et Graecorum mores praecipua interfuerunt :

Primum atheniensem mulierem palam obversari, nisi comitante una saltem ancilla, dedecebat.

Accedit quod mulier graeca nunquam ambulatura egrediebatur, sed ad locum certum et destinatum itura, seu aliquid emendi causa, seu amicam visendi, seu in templo supplicandi.

Postremo omnia in ejus habitu ad modestiam composita. Meretricis erat in via consistere, oculos erigere, cum praetereuntibus confabulari. Proba vero matrona celeriter et recta via, demissis oculis, quo necesse habebat, properabat.

2. Plerorumque opinionem recte enuntiavit Cagnat his verbis : « Il fallait l'occasion d'une cérémonie funéraire ou religieuse, *où leur place était marquée par les rites*, pour les attirer au dehors. » (*Dictionn. des antiq. de Saglio*, s. v. *Gynaeceum.*)

nienses mulieres participes fuisse ostendamus. Quod in contextum ejus operis eo magis venit quod dionysiacae religionis scaenici ludi pars quaedam et caerimonia ipsi fuerunt[1].

Nullum apud Athenienses exstitit *Panathenaeis* praeclarius festum[2]. Eorum pars praecipua erat pompa, in qua virginum et mulierum magnam celebritatem cerneres. Aderant enim duae puellae ἀρρηφόροι[3]. Aderant etiam virgines numero plus quam centum, canistra aurea capite sustinentes, κανηφόροι[4]. Praeter has in Parthenonis zophoro plurimas mulieres videre est[5], quae sacra uten-

1. Ludos scaenicos non solum quinto et quarto ante Ch. saeculo sed christiana adhuc aetate pro dionysiacis sollemnibus apud Athenienses esse habitos plurima demonstrant. Theatrum, in Dionysi Eleutherensis τεμένει situm (Pausan., I, 20), Διονυσιακὸν θέατρον appellabatur (Poll., IV, 121). Dei statuam pridie ludos media in orchestra sollemniter collocabant (*C. I. A.*, II, 470-1). Sacrificia et lustrationes quaque die ante spectacula fiebant (Plutarch., *Vit. Cimon.*, 8. Poll. IV, 88). Aderat sacerdotum et antistitarum ingens consessus, inter quos Bacchi sacerdos praecipuam sedem occupabat (*C. I. A.*, III, 240-384). Coronati, ut in deorum festis, spectatores sedebant (Philochor., *ap.* Athen., XI, p. 464 E). Si quis in theatro deliquisset, sacrilegii poenas dabat; choregorum et choreutarum et histrionum corpus atque ipsa ornamenta sacra putabantur (Demosth., *adv. Mid.*, 16, 51-55, 147).

2. Michaelis, *Der Parthenon*, Anhang II, pp. 318 sq. A. Mommsen, *Feste der Stadt Athen im Alterth.*, 1898, pp. 41-159.

3. Harpocrat., s. v. ἀρρηφορεῖν. Etym. mag. *eod. verbo.* Aristoph., *Lysistrat.*, 641. *C. I. A.*, II, 1379-81, 1383-84 sq., 1390-92. III, 887, 916-18, etc.

4. Aristoph., *Av.*, 1550 sq. Harpocrat. s. v. κανηφόροι. *C. I. A.*, II, 1, 163. [Plutarch.] *Vitae X orat.*, p. 279 (ed. Westermann).

5. Eas quoque, ut videtur, κανηφόρους per abusionem vocaverunt.

silia manibus gestant[1]. Canephoris singulis adstitisse accipimus filias singulas metoecorum, altera manu umbellam, altera subsellium ferentes : unde eis nomen διφροφόροις erat[2]. Immo metoecae feminae, si Aeliano fidem adhibeas, atheniensibus matronis eodem modo famulabantur[3]. Nuncupabantur praeterea ἐργαστῖναι mulieres quaedam et virgines, quibus civitas, quod ad Athenae peplum conficiendum operam sponte contulissent, ut deae simulacro in arcem ascendenti comitarentur praemii loco concesserat[4]. Denique quis dubitet quin viae et plateae magna, cum virorum, tum mulierum spectantium frequentia redundaverint[5]? Ferunt enim a Demetrio, Phalerei illius nepote, cum Athenis hipparchus esset, suggestum, ex quo amica Aristagora supplicantium agmen contemplaretur, in foro exstructum esse[6]. Item apud

1. A. Mommsen, *op. l.*, pp. 122 sq.

2. Aristoph., *Av.*, 1550 sq. Aelian., *Var. hist.*, VI, 1. Harpocrat., s. v. σκαφηφόροι. Hesych., s. v. διφροφόροι. A diphrophoris secernendas esse ὑδριαφόρους arbitror, quarum officium erat aquam ad res divinas necessariam portare. Cf. Harpocrat., *ibid.* Pollux, III, 55.

3. Aelian., *l. l.*

4. Hesych. s. v. ἐργαστῖναι. Schol. Eurip., *Hecub.*, 467. *C. I. A.*, IV, p. 122, n. 477; p. 124, n. 477 d, 11; II, 1, p. 285, n. 477. Eas amplius centum fuisse e decretis constat.

5. Recte dixit Mommsen : « Da athenische Mädchen als Kanephoren oder in anderen Funktionen mitzogen, so waren deren Mütter die gewiesenen Zuschauerinnen » (*Op. l.*, p. 143, n. 1).

6. Hegesand. *ap.* Athen., IV, p. 167 F. τοῖς δὲ Παναθηναίοις ἵππαρχος ὢν ἰκρίον ἔστησε πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς Ἀρισταγόρᾳ μετεωρότερον τῶν Ἑρμῶν. Sed meretricem fuisse istam Aristagoram monendum est. Praeterea vide *C. I. A.*, II, 2, n. 966 et 967, et quae de iis titulis commentatus est A. Mommsen, *op. l.*, p. 86 et p. 143, n. 1.

Menandrum mulier quaedam Panathenaicam pompam ex eodem loco spectavisse narratur[1].

Quin etiam nocturnis, quod minime crederes, festi sacris ipsae non aberant virgines. Nam sunt in Euripidis *Heraclidis* hi versus : « Tibi, o Minerva, ventoso in colle sacri puellarum ululatus, pedum strepitu comitante, noctu personant. » Quae verba de Panathenaeorum pervigilio dici, in quo virgines cantu et saltatione Minervam colerent, inter omnes interpretes convenit[2].

Neque minorem partem obtinebant feminae in plerisque Cereris festis : quorum praecipua *Eleusinia* et *Thesmophoria* erant.

Eleusiniis mysteriis religio utriusque sexus Graecos omnes initiari jubebat[3]. Non est hic locus ut omnem ejus festi caerimoniarum ordinem persequamur, quae, si gravissimo credas auctori, ad novem dies durabant[4]. Has solum breviter commemorabimus, quibus mulieres interfuisse certum est.

Die quadam Eleusiniorum sollemnis pompa Athenis Eleusinem diluculo proficiscebatur[5]. Quod iter pediti ferme horarum quattuor est, verum ob sacrificia et

1. Suid. s. v. πέμπειν, τὸ πομπεύειν. Μένανδρος Ὑποβολιμαίῳ ἢ Ἀγροίκῳ · « μικρὰ παναθήναι', ἐπειδὴ δι' ἀγορᾶς πέμποντά σε δή, Μοσχίων, μήτηρ ἑώρα τῆς κόρης ἐφ' ἅρματος. »

2. V. 778-783. De Panathenaeorum vigiliis agitur in *C. I. A.*, II, 1, p. 68, n. 163. Vide Mommsen, *op. l.*, pp. 105-6.

3. Pausan., X, 31, 4.

4. A. Mommsen, *op. l.*, p. 204.

5. Mytae, si Herodoto fides (VIII, 65), numerum triginta millium explebant.

paeanas et saltationes ceterosque ritus multo diutius producebatur[1]. Pedibus ibant viri omnes; curru contra vehebatur mulierum opulentissima quaeque[2]. Ex illa utriusque sexus per iter conjunctione saepe et nictus et blanditias et breves amationes esse ortas Aristophanes monet : qui in *Pluto* suo anum quandam induxit, de amasio ita querentem :

μυστηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοισι νὴ Δία
ἐπὶ τῆς ἁμάξης ὅτι προσέβλεψέν μέ τις,
ἐτυπτόμην διὰ τοῦθ' ὅλην τὴν ἡμέραν·
οὕτω σφόδρα ζηλότυπος ὁ νεανίσκος ἦν[3].

His amationibus non minime favebant tenebrae. Multa enim de nocte, lucentibus taedis, mystae Eleusinem deveniebant[4] : ubi pompa in pervigilium desinebat[5].

Eleusine mystae quattuor, ut videtur, dies commorabantur, in tentoriis aut plaustris plerique pernoctantes[6]. Ceterum haud multum temporis somno dabant, cum pervigilium quaque nocte esset cum choris et canticis[7]. E tanto virorum et feminarum per tenebras lasci-

1. Plutarch., *Vita Alcibiad.*, 34. *C.* I. *A.*, III, n. 5.

2. Demosthen., *adv. Mid.*, 158. Cf. Aristoph., *Plut.*, v. 1013. — Traditur tamen orator Lycurgus legem pertulisse qua matronae bijugis uti ad mysteria vetarentur ὅπως μὴ ἐλαττῶνται αἱ δημοτικαὶ ὑπὸ τῶν πλουσίων ([Plutarch.] *Vit. X Orat.*, p. 273, West.).

3. V. 1013.

4. Aristoph., *Ran.*, 340. Euripid., *Ion*, 1074.

5. Euripid., *l. l.* Cf. A. Mommsen, *op. l.*, pp. 230-2.

6. Plutarch., *Quaest. graec.*, 304 E.

7. Aristoph., *Ran.*, 444 : ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἶμι καὶ γυναιξίν, | οὗ παννυχίζουσιν θεᾷ, φέγγος ἱρὸν οἴσων. Ibid., 371.

vientium concursu quot et quanta flagitia manaverint docent comicorum fabulae[1]. In quibus e stupro, quod ingenuae virgini adulescens noctu ebrius per Cereris mysteria intulit, nodus fieri solet. Ita, verbi causa, se res habebant in graecis exemplaribus quae Plautus in *Aulularia*[2], Caecilius in *Titthe*[3], Terentius in *Adelphis*[4] imitati sunt. Atque illud est quamobrem Cicero omnes Romae vigilias funditus tollendas in *Legibus* censuerit[5].

Matronarum festum, exclusis viris atque ipsis virginibus[6], *Thesmophoria* erant. Nec minus quinque dies tenebant[7] : per quas a domo aberant thesmophoriazusae[8].

1. Aelian., *Anim.*, VII, 19 : τὰ μικρὰ μειράκια τὰ τοῦ Μενάνδρου ἐν ταῖς παννυχίσιν ἀκόλαστα. Aul. Gell., *Noct. attic.*, II, 23, de Menandri loco quodam disserens : « Cujus loci haec ferme sententia est : filia hominis pauperis in pervigilio vitiata est; ea res clam patrem fuit, et habebatur pro virgine. » Cicer., *Leg.*, II, 14-15.

2. IV, 10, v. 752 : Ego me injuriam fecisse fateor tuae | *Cereris vigiliis* per vinum atque impulsu adulescentiae. Cf. *Ibid.*, *Prolog.* v. 36.

3. Nonius, s. v. *gravidavit* (p. 123, éd. Quicherat) : *Gravidavit*, implevit. Caecilius *Titthe :* Per mysteria hic inhoneste [honestam] gravidavit probro.

4. III, 4, v. 469 : hoc quidem ferundum aliquo modost : | persuasit nox, amor, vinum, adulescentia ; | humanumst. — Cf. Plaute, *Cistellar.*, I, 1, 91. Theocrit., *Idyl.*, II, 66. Xenoph. Ephes., *Anth. et Habrocom.*, 2-3.

5. II, 14-15 : « Quid mihi displiceat in nocturnis poetae indicant comici... Diligentissime sanciendum est ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat... Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. »

6. Aristoph. *Thesmophoriaz.*, 328-330 et passim.

7. A. Mommsen, *op. l.*, p. 319.

8. Aristoph., *Thesmophoriaz.*, 624.

Quin caerimoniarum pars extra urbem agebantur. Prima enim die, quae Στήνια vocabantur, matronae Athenis Halimunta pergere solebant : quod iter per multam hilaritatem et jocos noctu fiebat[1]. Insequentem diem ibi totam ducebant, Demetros et Aphrodites et Genetyllidarum templa pie visentes[2], interdumque saltationi et ludis indulgentes[3]. Mane demum postero muliebris pompa Athenas se recipiebat. Falso tamen crediderunt quidam Plauti et Terentii interpretes non Eleusiniis sed Thesmophoriis ea virginum stupra, quae in fabulas suas comici inducunt, esse admissa[4], haud recordati ab hoc festo exclusas esse innuptas feminas. Attamen e Thesmophoriorum nocturnis sacris quin similia facinora aliquando orta sint non dubitandum : de quibus vide Lysiae *de Eratosthenis caede* orationem, § 20 et Aristophanis *Thesmophoriazusas*.

Atque haec quidem de urbanis Thesmophoriis; sed in quoque Atticae pago ea seorsum agitata esse Isaeus testis est[5].

1. Aristoph., *op. l.*, 834 sq. Phot. s. v. στήνια Hesych. s. v v. στήνια et στηνιῶσαι.

2. Pausan., I, 1, 5. Hesych. s. v. Γενετυλλίς.

3. Plutarch., *Vita Solon.*, 8.

4. « The nocturnal festival of Ceres θεσμοφόρια, *Vigiliae Cereris*, used to be celebrated by married and unmarried (!) women strolling about in the dark without lights, whence this opportunity could easily be misused by young men desirous to encounter romantic adventures. » (Plaut., *Aulular.*, ed. Wagner, Cambridge, 1887, not. ad Prolog. v. 36.)

5. Isae., *de heredit. Pyrrh.*, 80. *de hered. Cironis*, 19.

Praeterea titulum habemus quarto ante Christum saeculo inscriptum, in quo alia Cereris festa numerantur : *Plerosia* et *Calamaea* et *Scira* et « si quem alium diem mulieres more majorum celebrant » (καὶ εἴ τιν' ἄλλην ἡμέραν συνέρχονται αἱ γυναῖκες κατὰ τὰ πάτρια)[1]. Quae omnia non in Piraeo tantum sed in singulis Atticae vicis celebrata esse opinor[2].

Sed jam ad Bacchi festa veniamus : e quibus principem obtinuerunt locum *Dionysia rustica, Dionysia urbana, Anthesteria, Lenaea.*

Tota via erravit Bernhardius, ab iis muliebrem sexum amotum esse dicens[3].

De *rusticis* enim *Dionysiis* testimonio sit vulgatissimus ille *Acharnanorum* locus, quo Dicaeopolis pompam cum suis in villa instruit. In qua praesentium unusquisque pro multis habendus, ut phallophororum servus, filia canephororum, uxor denique spectantium vices obtineat[4].

In *urbanorum Dionysiorum* pompa nobilissimae cuique virgini semper honori fuit sacra canistra ferre[5]. Quod sexto ante Christum saeculo jam usu receptum Thucydi-

1. *C. I. A.*, II, 1, pp. 421-2, n. 573 b.

2. Hoc utique de *Sciris* constat (Aristoph., *Thesmoph* , 834).

3. Bernhardy, *Grundr. d. griech. Litter.*; edit. tertia, pp. 131-2 : « Wenn wir die Phrasen einer modernen Anschauung fern halten, so müssen wir immer vom Satz ausgehen, dass die Festlichkeit der Dionysien in Athen ausser Beziehung zu Frauen stand und einzig die Männer versammelte. »

4. Aristoph., *Acharn.*, 241 sq., 259 sq.

5. Schol. Aristoph., *Acharn.*, 242 : κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις αἱ εὐγενεῖς παρθένοι ἐκανηφόρουν.

des prodit[1]. Neque aliter secundo saeculo se res habuisse e decreto cognoscimus[2]. Praeterea magnam spectantium mulierum per vias stipationem fuisse testatur Menander : qui in deperdita fabula virginem ita dicentem induxerat[3] :

πομπὴ γὰρ ἦν Διονυσίων·
ὁ δέ μ' ἠκολούθησε μεχρὶ τοῦ πρὸς τὴν θύραν,
ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων μητέρα
ἔγνω με.....

Accedit Plauti locus hic, ab eodem Menandro versus[4] :

...Nutrix quae fuit? — Archestrata :
Ea me spectatum tulerat per Dionysia...
Postquam illo ventum est, jam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo : spectacla ibi ruunt.

Anthesteriis quoque mulieres muneribus sacris fungebantur[5]. Fertur enim in Limnaeo templo, quod semel tantum quotannis pateret, vetustissimum quoddam et sanctissimum exstitisse Dionysi simulacrum[6]. Huic ut archontis regis uxor *mystice*, ut aiunt, nuberet antiquitus erat institutum[7]. Vespere scilicet ea, comitantibus quat-

1. Thucydid., VI, 56.
2. *C. I. A.*, II, 1, n. 420, p. 202.
3. Menand. apud Hermogen. *De invent.*, ed. Walz, III, p. 177, 10. Haec Plautus in *Cistellaria*, I, 1, v. 91 ad verbum expressit : « Per Dionysia mater pompam me spectatum duxit ; dum redeo domum conspicillo consecutust clanculum me usque ad foris... »
4. *Curculio*, V, 2, 643.
5. A. Mommsen, *op. l.*, pp. 391-5.
6. [Demosthen.], *adv. Neaeram*, 76. Pausan., I, 20, 3.
7. Aristotel., *Respubl. Atheniens.*, III, 5. [Demosthen.], *adv. Neaeram*. 79.

tuordecim lectissimis matronis, e Limnaeo sacro ad Bucolion per multam et hilarem spectantium frequentiam una cum simulacro curru invehebatur[1] : quo ingressi deus et regina, sponsorum instar, in thalamo includebantur, neque ante diluculum Limnas redibant[2].

His expositis, conjectura facilis est mulieres ab ipsis *Lenaeis* non esse prohibitas.

Sed priusquam a dionysiacis religionibus discedamus, perpauca de *Thyiadibus* et *Maenadibus* et *Bacchidibus* dicenda sunt. Sic vocabantur Delphicae et Atticae feminae, quae, ut fama est, divino quodam furore incensae, Parnassi juga, quasi infantem Dithyrambum investigantes, secundo quoque anno pervagabant[3]. Inde nefanda facinora saepe exstitisse haud mirum, praesertim cum iis feminis, si Euripidi credas, viri interdum se comites adsciscerent. Fatetur enim apud eum poetam Ion[4] se, cum Delphos adulescens venisset, in Baccharum thiasum a proxeno introductum, delphicae puellae vim ebrium intulisse[5].

Sunt multae denique feriae, de quibus nihil fere aliud

1. Aristotel., *l. l.;* [Demosthen.], *l. l.;* Hesych. s. v. γεραραί; Etym. Magn. s. v. γεραῖραι.

2. [Demosthen.], *op. l.*, 76.

3. Pausan., X, 4, 3. Plutarch., *De prim. frig.*, c. 18. Mommsen, *op. l.*, p. 23.

4. Euripid., *Ion*, 549. Πυθίαν δ' ἦλθες πέτραν πρίν ; — εἰς φανάς γε Βακχίου. | — προξένων δ' ἐν τοῦ κατέσχες; — ὅς με Δελφίσιν κόραις | — ἐθιάσευσ', ἢ πῶς τάδ' αὐδᾷς ; — Μαινάσιν γε Βακχίου. | — ἔμφρον' ἢ κάτοινον ὄντα ; — Βακχίου πρὸς ἡδοναῖς. | — τοῦτ' ἐκεῖν' ἵν' ἐσπάρημεν.

5. Rapp, *Die Mänade* in *Rhein. Mus.*, t. XXVII, pp. 1-22.

compertum habeamus, nisi iis athenienses mulieres, sive solas, sive cum viris adfuisse.

In Aristophanis *Lysistrata* matrona quaedam his verbis superbiens utitur (v. 641 sq.) :

> ἑπτὰ μὲν ἔτη γεγῶσ' εὐθὺς ἠρρηφόρουν ·
> εἶτ' ἀλετρὶς ἦ δεκέτις οὖσα τἀρχηγέτι ·
> κᾆτ' ἔχουσα τὸν κροκωτὸν ἄρκτος ἦ Βραυρωνίοις ·
> κἀκανηφόρουν ποτ' οὖσα παῖς καλή, 'χουσ'
> ἰσχάδων ὁρμαθόν.

De quibus honoribus paucissima haec commemorare satis erit :

a) *Arrhephoros* plurimis Atheniensium festis delectas esse, verbi causa magnis Panathenaeis[1], et Epidauriis[2], et Γῆς Θέμιδος[3] et Εἰλειθυίας ἐν Ἄγραις[4] festis, cum ex scriptoribus, tum e titulis constat.

b) Puellis quae ἀλετρίδες appellabantur publico muneri fuit sacram farinam, ex qua placentae Minervae conficerentur, mola terere[5]. Quas in pompa comparuisse credendum est.

c) Ἄρκτοι erant nuptiis jam maturae virgines, quae, Dianae capram pro pudicitia mox amittenda immolatu-

1. Vide supra, p. 36.
2. *C. I. A.*, II, 1, n. 453 b, 13.
3. *C. I. A.*, III, 1, n. 318.
4. *Ibid.*, n. 319.
5. Schol. Aristoph. *Lysistrat.*, 644. Opinatur tamen Hermann (*Gottesd. Alterth.*, § 36, n. 13) non Minervae sed Dianae aut Cereri ἀλετρίδας famulatas esse.

rae, Brauronem comitantibus matribus pergebant[1]. De his sacris dici videtur quod Herodotus narrat, athenienses mulieres Braurone, dum festum Dianae agerent, a Pelasgis deprehensas esse[2].

d) De puellis quae magnis Panathenaeis et urbanis Dionysiis canistra ferebant jam supra commemoravi[3]. Erant autem *canephori* in multis aliis festis, velut Dianae[4], Cereris[5], Isidis[6].

Apud Plutarchum legimus Athenienses filias suas ad templum Delphinium deos placandi causa quotannis mittere solitos, Thesea e Creta insula cum septem illis pueris et virginibus incolumem, Minotauro interfecto, domum rediisse sic commemorantes : quod festum *Delphinia* vocabant[7].

In epistula, quam Alciphro a Glaucippe quadam ad matrem scribi finxit, fatetur virgo se, ex quo in urbe, *Oschophoria* spectans, oschophorum adulescentem, forma quidem praestantissimum, forte viderit, illius amore deperire[8].

1. Schol. Aristoph. *Lysistrat.*, 645. Harpocrat. s. v. ἀρκτεῦσαι. Suid. s. v. ἄρκτος. Tradunt Suidas atque Aristophanis scholiastes ἄρκτους minores undecim annis fuisse; quos erravisse demonstravit A. Mommsen, *op. l.*, p. 453, n. 6.

2. Herodot., VI, 138 : οἱ δὲ Πελασγοὶ — ἐλόχησαν Ἀρτέμιδι ἐν Βραυρῶνι ἀγούσας ὁρτὴν τὰς τῶν Ἀθηναίων γυναῖκας. Cf. IV, 145.

3. Vide supra, pp. 36 et 42

4. Theocrit., II, 66 et schol.

5. Callimach., *Hymn. in Cerer.*, 127.

6. Böckh, *C. I. G.*, II, n. 2298.

7. Plutarch., *Vita Thesei*, 18.

8. Alciphr., *Epistul.*, III, 1 : ἐξ ὅτου τὸν ἀστικὸν ἔφηβον ἐθεασάμην τὸν ὠσχοφόρον, ὅτε με ἄστυδε προυτρέψας ἀφικέσθαι ὠσχοφορίων ὄντων.

Auctore Thucydide, Athenis moris fuit ut, in publicis pro patria occisorum exsequiis, mulierum eae quae propinquitate mortuos attingerent ad sepulcrum starent ejulantes[1]. Quibus verbis, quamvis subobscuris, proprium quoddam propinquarum officium designari, non ceteras mulieres de praesentium numero excerpi opinor[2]. Fuerit, inter alia, argumentum quod vel privata funera feminis annos sexaginta natis exsequi licebat[3].

Refert scholiastes quidam Luciani diem festum, qui Ἀλῷα diceretur, ab Eleusiniis feminis esse celebratum[4]. De quo vide plura inferius[5].

Hesychius *Genetyllida* scribit fuisse deam, cui mulieres diem festum agerent[6]. Quod etiam docet Aristophanes in *Lysistrata* (v. 1 sq.)[7].

Aristophanis scholiastes, locum quendam *Pluti* (v. 1197 sq.) illustrans, in more Atheniensium fuisse tradit, quotiens templum dicarent, ut mulieres, variis

1. Thucydid., II, 34, 4 : ξυνεκφέρει δὲ ὁ βουλόμενος καὶ ἀστῶν καὶ ξένων, καὶ γυναῖκες πάρεισιν αἱ προσήκουσαι ἐπὶ τὸν τάφον ὀλοφυρόμεναι.

2. Mecum tamen non facere plerosque Thucydidis editores fateor. Vide Classen, Poppo, A. Croiset *ad h. loc.*

3. Vide supra, p. 32. — Meae interpretationi etiam favet quod a Plutarcho (*Vit. Pericl.*, 28) traditur, Periclem, cum militibus ad Samum occisis laudationem dixisset, tantam sui admirationem movisse ut de suggestu descendens plausibus et coronis et fasciis a mulieribus exciperetur.

4. Schol. Lucian., *Sermon. meretric.*, 7, 4.

5. P. 75 et 76, n. 1.

6. Hesych. s. v. Γενετυλλίς.

7. Vide schol. *ad h. loc.*

purpureisque vestibus indutae, ollasque coctis omne genus oleribus refertas capite gerentes, pompae praeirent[1].

Ex his quae congessi exemplis probabiliter, ut opinor, effici potest nullis civitatis festis athenienses mulieres caruisse. Quae multo plura Athenis quam in qualibet Graeciae alia urbe fuerunt. Itaque verba haec Pericli Thucydides accommodat : καὶ μὴν καὶ τῶν πόνων πλείστας ἀναπαύλας τῇ γνώμῃ ἐπορισάμεθα, ἀγῶσι μέν γε καὶ θυσίαις διετησίοις νομίζοντες....., ὧν καθ' ἡμέραν ἡ τέρψις τὸ λυπηρὸν ἐκπλήσσει[2]. Et similia apud Isocratem : ἡ δ' ἡμετέρα πόλις ἅπαντα τὸν αἰῶνα τοῖς ἀφικνουμένοις πανήγυρίς ἐστιν[3].

Sed de patriis tantum et antiquis Atheniensium religionibus hactenus egimus. Accedit quod peregrini dii in urbem mature invaserunt : Sabazius et Adonis et Aphrodite Paphia et Cybele et Isodaetes, multique alii[4]. Has in novas religiones magnam ab initio feminarum, praecipue popularium, turbam irruisse auctor est Aristophanes : qui de peregrinis illicitisque diis, quos ὀργιαστικῶς venerandi causa muliebris sexus in unum conveniat, bis in *Lysistrata* jam mentionem habet[5]. Sed multo majorem insequente saeculo novi dii favorem apud Athenienses

1. Schol. Aristoph., *Plut.*, 1197 et 1199.

2. II, 38, 1.

3. *Panegyric.*, 46. — Cf. Maxim. Tyr., III, 10, p. 29 : τὰ δὲ Ἀθηναίων τί χρὴ λέγειν ; πάντα μεστὰ ἑορτῆς τὰ Ἀττικά, πάντα θυμηδίας · καὶ διέλαχον αὐτοῖς ὧραι τὰς ἡδονάς.

4. Foucart, *Associations relig. chez les Grecs*, pp. 55 sq.

5. Schol. *Lysistrat.*, 1 : καὶ γὰρ πολλὰς ἑορτὰς αἱ γυναῖκες ἔξω τῶν δημοτελῶν ἦγον ἰδίᾳ συνερχόμεναι. *Ibid.*, 389 : παρὰ πολλοῖς δὲ ὀργιάζονται αἱ γυναῖκες θεοὺς οὐ δημοτελεῖς οὐδὲ τεταγμένους.

occupaverunt : tum multae privatim institutae sunt ad hos colendos sodalitates[1]. De quibus quae vir doctissimus noster Foucart tam acute et eleganter disseruit alienum est hic referre. Hoc tantum memineris velim mulieribus universis, sive ingenuis sive servis, ea collegia ita patuisse, ut sacerdotio nonnunquam ceterisque honoribus ipsae a sodalibus ornarentur[2].

Sequitur ut de communibus totius Graeciae ludis et oraculis breviter dicam. Huc sacras legationes (θεωρίαι) civitates singulae quotannis mittebant[3] : quibus multi solebant privati homines sese comites itineris adjungere[4]. De iis peregrinationibus est apud Plutarchum locus lectu haud indignus : narrat ille Peloponnesios theoros, ad Delphicum oraculum missos, dum per Megaricam transeuntes prope paludem quandam cum uxoribus et liberis in quadrigis pernoctarent, a Megarensibus in aquas esse devolutos[5]. Unde patet Graecis, vel longin-

1. Foucart, *op. l.*, pp. 66 sq.

2. « A Athènes une des dignités les plus considérables du thiase des Sérapiastes était celle de la προερανίστρια. Les femmes jouaient un rôle important dans les thiases de Sabazios et d'Isodaitès. Plusieurs sont nommées dans un thiase de Salamine. Chez les Orgéons du Pirée, non seulement c'est une prêtresse qui exerce le sacerdoce, mais les femmes prennent une part considérable aux cérémonies. Quelquefois même la société était uniquement composée de femmes comme le κοινὸν ἐρανιστριῶν de Salamine. » (Foucart, *op. l.*, p. 6).

3. Ex iis inclytissima fuit theoria illa quam Athenienses Delum legabant (Thucydid., III, 104).

4. Ammom. Περὶ διαφόρ. λέξ., p. 69. Xenoph., *Hier.*, I, 11. Thucydid., III, 104. Dio Chrysost., XXVII, p. 528 Reiske.

5. Plutarch., *Quaest. graec.*, 304 E : ἐπορεύετο θεωρία Πελοποννησίων

quum et periculosum pietatis causa iter facientibus, non insolitum fuisse ut familiam totam secum ducerent. Tradit quoque Thucydides Ioniis sollemne fuisse quoque anno ad *Ephesia* cum liberis et uxoribus convenire[1]. Qua de causa non improbabiliter Euripides in *Ione* finxit, atheniensem Creusam marito Delphicum Apollinem scitaturo cum ancillis esse comitatam.

εἰς Δελφοὺς διὰ τῆς Μεγαρικῆς καὶ κατηυλίσθησαν ἐν Αἰγείροις παρὰ τὴν λίμνην μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν, ὡς ἔτυχεν, ἐν ταῖς ἁμάξαις.

1. Thucydid., III, 104.

§ 3. — *Controversiae summa.*

Sed jam quae dicta sunt breviter complecti maturum est :

Sunt tres Platonis loci ex quibus feminas, si quidem integro animo eos interpreteris, tragicorum ludorum fuisse participes luce clarius patet.

Adversae contra sententiae nihil aliud favet nisi haec praejudicata doctorum opinio, nunquam fere exiisse mulieres graecas, nunquam in celebritate versatas esse.

Haec vero opinio quantum a re ipsa distet ostendisse mihi videor :

Planum enim, ni fallor, feci cum popularibus, tum veteribus quolibet genere feminis maximam apud Athenienses fuisse agendi et exeundi libertatem.

Praeterea universas mulieres, quin virgines ipsas, deorum omnium sacris et praecipue Bacchi interfuisse solitas comprobavi.

Quo posito, consequens est ut ad tragicos etiam ludos, quippe qui in Bacchi honorem committerentur, feminae omnes receptae sint.

Haec meae sententiae summa : quam cum tutentur et clara scriptorum testimonia et ipsi Atheniensium mores, quo jure quis in dubitationem vocare eam possit non video.

III.

QUAESTIO ALTERA : NUM ATHENIENSES MULIERES COMOEDIAS SPECTATUM ADMISSAE SINT.

---

§ 1. — *Antiquorum testimoniorum disquisitio.*

In hoc igitur controversia jam recidit utrum Athenis mulieres comoedias spectatum admissae sint, necne. Qui id negant quibus scriptorum locis innitantur primum videamus.

1. Aristophan., *Aves*, v. 793 :

> εἴ τε μοιχεύων τις ὑμῶν ἐστιν ὅστις τυγχάνει,
> κᾆθ' ὁρᾷ τὸν ἄνδρα τῆς γυναικὸς ἐν βουλευτικῷ,
> οὗτος ἂν πάλιν παρ' ὑμῶν πτερυγίσας ἀνέπτατο,
> εἶτα βινήσας ἐκεῖθεν αὖθις αὖ καθέζετο.

Hoc exemplo Chorus avium spectantes docet, si alas haberent, quot et quanta commoda inde forent. Nullam ibi afferri causam cur, dum senator ille comoedos audiat,

ejus uxor domi remanserit, sane mirum est. Unde plerique moris Athenis fuisse ut soli viri comoedias spectarent confidenter collegerunt[1]. Cum his tamen duas ob causas non facio. Primum nimis in universum conclusisse mihi videntur : nam principes matronas comoediis abstinuisse ex eo loco forsitan jure suspiceris, non autem omnes[2]. Praeterea verbis parum accuratis ut poeta usus sit fieri potest. Quod ei in simillimo *Thesmophoriazusarum* loco utique accidit, quo feminae maritos, auditis Euripidis tragoediis, ad omnes suspiciones pronos domum redire queruntur (v. 395 sq.) :

> ὥστ' εὐθὺς εἰσιόντες ἀπὸ τῶν ἰκρίων
> ὑποβλέπουσ' ἡμᾶς, σκοποῦνταί τ' εὐθέως,
> μὴ μοιχὸς ἔνδον ᾖ τις ἀποκεκρυμμένος.

Hos versus quis neget, si ad litteram accipias, in illam trahi posse sententiam quasi ab ipsis tragoediis feminae prohibitae essent[3]. Quod prorsus esse falsum supra comprobavimus. Quapropter hunc *Avium* locum haud magni faciendum puto.

2. Aristophan., *Pax*, v. 50.

Haec multi prave interpretati sunt quod prioribus versi-

1. Böttiger, *ibid.*, p. 304. Passow, *l. l.* Oemichen, *l. l.*

2. Cf. Welker, *l. l.* : « Wir dürfen annehmen dass besonders jüngere ehefrauen mehr an das frauengemach gebunden waren als ältere matronen oder auch selbständige frauen, dass also auch junge ehefrauen weniger in das theater kamen... Deshalb wird Aristoph. *Av.*, 793 sq. einfach angenommen dass die frau des rathsherrn zu hause zu finden sei. »

3. Böttiger, *ibid.*, p. 304, 317. Cf. Passow, *l. l.* (p. 248).

bus non satis arte conjunxerunt[1]. Postquam enim dixit Servus B :

> οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
> νεανίας δοκησίσοφος, τὸ δὲ πρᾶγμα τί;
> ὁ κάνθαρος δὲ πρὸς τί; κ. τ. λ...

sic reponit Servus A :

> ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις
> καὶ τοῖσιν ἀνδρίοισι καὶ τοῖς ἀνδράσι
> καὶ τοῖς ὑπερτάτοισιν ἀνδράσιν φράσω
> καὶ τοῖς ὑπερηνορέουσιν ἔτι τούτοις μάλα.

Quorum versuum vis ea fere est : « Immo rem non tantum adulescentem illum docebo sed etiam omnes cujuslibet aetatis spectatores. » Id vero servulus ridicule dicit, humanam vitam in quinque gradus verbis insolenter novatis dividens. Quem jocum frigidum atque arcessitum non infitior esse. Sed hoc nihil ad rem. Quod certum est, in animo non habuit Aristophanes singula spectantium genera percensere[2].

3. Aristophan., *Pax*, v. 765.

Cives rogat poeta ut pro tot et tantis quae in eos contulerit meritis sibi debitam gratiam referant :

> πρὸς ταῦτα χρεὼν εἶναι μετ' ἐμοῦ
> καὶ τοὺς ἄνδρας καὶ τοὺς παῖδας·
> καὶ τοῖς φαλακροῖσι παραινοῦμεν
> ξυσπουδάζειν περὶ τῆς νίκης.

1. Passow, *l. l.* (p. 243). Oemichen, *l. l.*

2. Aliter H. Blümner feminarum praetermissionem hoc loco interpretatur : « wohl aus der überwiegend grösseren Zahl der männlichen Zuschauer » (*op. l.*, p. 73, n. 1).

In hunc etiam locum cadit quod de priore dictum est, non spectatorum universitatem sed varias vitae aetates ita designari, pueros, viros, senes[1]. Nec secus errant mea quidem sententia qui ex utroque loco Aristophanis fabulas a feminis non esse spectatas collegerunt, quam si quis, Bossuetii *Sermones* pervolvens, ob id quod orator viros tantum compellet[2], nullam in consessu fuisse feminam olim sibi persuadeat.

4. Theophrast., *Characteres*, IX :

Ὁ ἀναίσχυντος τοιοῦτος οἷος..., ξένοις αὑτοῦ θέαν ἀγοράσας, μὴ δοὺς τὸ μέρος θεωρεῖν[3], ἄγειν δὲ καὶ τοὺς υἱεῖς εἰς τὴν ὑστεραίαν καὶ τὸν παιδαγωγόν.

5. *Ibid.*, XXX :

Ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ αἰσχροκερδὴς οἷος..... ἐπὶ θέαν τηνικαῦτα πορεύεσθαι ἄγων τοὺς υἱεῖς, ἡνίκα προῖκα ἀφιᾶσιν οἱ θεατρῶναι.

In utroque igitur *Charactere* civem quendam videmus in theatrum sese cum liberis et paedagogo per dolum insinuantem. Exsistit quaestio cur ille uxorem ipsam, si licuerit, secum non introduxerit. De hoc duplex conjec-

1. Facete senes poeta calvos nominat, suam ipsius calvitiem irridens.

2. « Me sera-t-il permis aujourd'hui d'ouvrir un tombeau devant la cour...? Je ne pense pas, *Messieurs*, que des chrétiens doivent refuser d'assister à ce spectacle... Et je puis dire, *Messieurs*, que les mortels..., etc. » (Bossuet, *Sermon sur la mort*, exorde).

3. Forsitan legendum συνθεωρεῖν.

tatio est. Primum enim satis probabiliter respondeat aliquis pueros et paedagogum a Theophrasto exempli tantum causa, ut totam breviter significet familiam, ibi nominari. Si tamen non casu quodam sed ex industria mulieres bis a scriptore esse omissas putes[1], alia ratione nodum expediam; nam, ut jam supra dictum est, muliebrem sexum non in eadem theatri parte ac virilem consedisse credendum[2].

His testimoniis infirmiora etiam sunt ea argumenta quae vel e praejudicata quadam opinione vel e scriptorum silentio quidam duxerunt :

Ponit Boettigerus eam in Aristophanis fabulis verborum esse turpitudinem quae a solis viris eas auditas palam faciat[3]. Quod credibiliter dictum sane concedo. At in contrariam partem Dumerillus non minus speciose scripsit ideo praecipue quae Aristophanes in muliebris sexus vinolentiam atque impudicitiam exprobret spectantibus placuisse quod in praesentes mulieres ea maligne transferrent[4]. Valeant igitur ejusmodi argumenta, quibus contrarium opponere jure queas !

1. Quod idem mihi ipsi videtur. Cf. enim apud eundem Superstitiosi charactera (XVI) : ὁ δὲ δεισιδαίμων τοιοῦτός τις οἷος ... τελεσθησόμενος πρὸς τοὺς Ὀρφεοτελεστὰς κατὰ μῆνα πορεύεσθαι μετὰ τῆς γυναικός. Animadvertendum est hic uxoris mentionem non omitti.

2. Becker, *Charikles*, ed. Göll, III, p. 187 : « Das erklärt sich..., wenn man bedenkt dass warscheinlich die Frauen abgesondert von den Männern sassen und jene also diese Plätze nicht benutzen konnten ».

3. Böttiger, *Kl. Schriften*, p. 305.

4. E. du Méril, *op. l.*, p. 485. Cf. Richter, *op. l.*, p. 25.

Praeterea pro certo se habere Boettigerus profitetur, si graecae mulieres comoediis adfuissent, id auctores quodammodo significaturos fuisse[1]. Neque horum silentium mirum esse infitior. Sed fac invicem mulieres a comoediis esse prohibitas. Nonne aequo jure de ea re scriptores tacuisse mireris?

Ex eo denique Passovius feminarum absentiam vult colligere, quod Aristophanes, cum ceteros spectatores, et saepe nominatim, illudat, nullam contra mulierem ut praesentem vexaverit, nullam compellaverit[2]. Quod Bergkius[3] et Madvigius[4] iisdem fere verbis postea reddiderunt. Sed hoc non recte conclusum mihi videtur. Nam, praeterquam quod de feminis spectantibus in *Pace* v. 968 mentionem, ut opinor, poeta habuit[5], meretrices saltem comoediis adfuisse inter omnes convenit[6]. Quod vero Aristophanes ultra quam quis crederet erga spectatrices verecundum se praestitit, id e Graecorum moribus intellegi potest : qui uxores et filias suas turpia

1. Böttiger, *Kl. Schriften*, p. 296.
2. Passow, *op. l.*, p. 243.
3. Bergk, *op. l.*, p. 49.
4. Madwig, *op. l.*, p. 456, n. 1.
5. Vide p. 63.
6. Vide supra, p. 18. Cf. Geppert, *Die altgriech. Bühne*, p. 111, n. 2. Becker, *Charikles*, ed. Göll III, p. 179. Bergk, *op. l.*, p. 50, n. 166. In contrariam partem callide dixerat Passovius : « Den Ausweg, dass den Hetären der Zutritt zur Komödie ausnahmsweise freigestanden habe, glaube ich nicht einschlagen zu dürfen, da Aristophanes sie gewiss noch viel weniger als andre Frauen geschont haben dürfe » (*op. l.*, p. 247).

cernere et audire minori quam ab extraneis viris publice compellari offensioni habuerunt.

Ex his igitur indiciis nihil certi elici potest. Quas contra ob causas alii comoedias coram feminis actas esse arbitrati sint nunc exsequendum :

1. Apud J. Pollucem II, 56 legimus vocibus θεάτρια et συνθεάτρια antiquae comoediae scriptores esse usos[1] : quas de mulieribus comoedos spectantibus multi, temere quidem, intellexerunt. Ex alio enim ejusdem grammatici loco (X, 67) apparet vocabulum compositum συνθεάτρια semel tantum et facete, de lagena quam mulier quaedam ludos spectatura secum ferat, ab Aristophane esse usurpatum[2]. Quod ad vocabulum simplex θεάτρια, id ne apud Aristophanem quidem exstitisse credo, verum e composito συνθεάτρια ab ipso Polluce derivatum (cf. IV, 121 ; VI, 158)[3]. Utcumque est, de omni spectaculo vel extra theatrum edito ea verba dici potuisse non infitiandum[4].

2. Apud eundem Pollucem IX, 44 sunt versus duo, ex Alexidis poetae *Gynaecocratia* sumpti, quibus feminae

1. καὶ θεάτρια καὶ συνθεάτρια ἡ παλαιὰ κωμῳδία.

2. καὶ τὴν ἐν Ἀριστοφάνους « Σκηνὰς καταλαμβανούσαις » λήκυθον τὴν ἑπτακότυλον, τὴν χυτραίαν τὴν καλὴν, ἣν ἐφερόμην, ἵν' ἔχοιμι συνθεάτριαν.

3. καὶ τὸ πλῆθος (ἂν εἴποις) θεατάς · καὶ Ἀριστοφάνης δὲ συνθεάτριαν εἴρηκεν, ὥστε οὐ θεατὴν μόνον εἴποι τις ἄν, ἀλλὰ καὶ θεάτριαν (IV, 121). — συνθεάτριαν δὲ καὶ συλλήστριαν καὶ σύγκοιτον Ἀριστοφάνης εἶπεν (VI, 158).

4. Hi Pollucis loci quam infirmi sint ad probandum recte jam ostenderunt Böttiger, Passow, Becker (*Charikl.*, III, pp. 173-4).

nescio quae se in extremis theatri subselliis ad spectandum consessuras dicunt :

ἐνταῦθα περὶ τὴν ἐσχάτην δεῖ κερκίδα
ὑμᾶς καθιζούσας θεωρεῖν ὡς ξένας.

Subtiliter haec explanavit Boettigerus, *Gynaecocratiae* argumentum ex ipsa inscriptione suspicans [1]. Alexidem enim credit in hac fabula, non secus atque ipse Aristophanes in *Ecclesiazusis* fecisset, rei publicae disciplinam sic perversam finxisse ut virilibus officiis mulieres, muliebribus contra viri fungerentur [2]. Quod utrum recte Boettigerus conjectura assecutus sit annon in medio relinquo [3]. Ambiguus utique locus, ut quicquid superstruxeris corruat.

3. Aristoph., *Ecclesiazusae*, v. 20 :

ἡ δ'ἐκκλησία
αὐτίκα μάλ' ἔσται · καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Φυρόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι,
δεῖ τὰς ἑτέρας πῶς κἀγκαθεζομένας λαθεῖν.

In his versibus scripturae mendum latere suspicor [4]; nam vix intelleguntur. Accedit quod rem quandam tecte indicant, quae audientium animis procul dubio

1. *Kl. Schriften*, pp. 259 sq.
2. Peregrinos igitur, si Boettigerus non aberraverit, in summa cavea spectasse sequitur.
3. Boettigero assentiuntur Passow et Boecker (*op. l.*, p. 174).
4. Pro ἑτέρας cum Dindorfio ἑταίρας legendum puto.

obversabatur, ea vero prorsus nos fugit. Quid igitur de his praebeat scholiastes videamus : γρ. ἃς Κλεόμαχος · (καί) φασι Κλεόμαχον τραγικὸν ὑποκριτήν · οὗτος φαίνεται ὑποκρινόμενός ποτε εἰρηκέναι ἕδρας ἐν δράματι καὶ ἐσκῶπται διὰ τὸ κακέμφατον · ὁ δὲ Σφυρόμαχος ψήφισμα εἰσηγήσατο ὥστε τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς ἄνδρας χωρὶς καθέζεσθαι καὶ τὰς ἑταίρας χωρὶς τῶν ἐλευθέρων · οἱ δὲ ὅτι τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς ἄνδρας χωρὶς καθέζεσθαι[1]. Duo scholia inter se pugnantia hic esse permixta patet[2]. Quorum prius ideo statim ejiciendum puto quod ne Phyromachus quidem sed Cleomachus nescio quis inducitur. Alterum pluris facio, etsi cum Aristophanis versibus, quod poeta de fori, scholiastes contra de theatri sedibus dixerit, male cohaerere nonnullis visum sit : haud recte tamen, mea quidem sententia. Qui in hoc loco jocum esse non viderunt, eumque haud illepidum : mulieres enim, dum theatri subsellia, quae Phyromachus muliebri sexui assignaverit, ad contionandum se occupaturas dicunt, theatrum in hac comoedia pro foro habendum significant. Plurimos ejusmodi locos apud Aristophanem facile reperias, quibus quae finxerit, ipse risum movendi causa retegat[3]. Quocirca Phyromachum vel Sphyromachum[4] quen dam credo, haud multo ante quam *Ecclesiazusae* actae

1. Schol. Aristophan, *Ecclesiaz.*, v. 23.

2. Eadem fere Suidas s. v. Σφυρόμαχος exscripsit, nisi quod, nulla meretricum mentione habita, de femineo sexu a viris sejungendo Sphyromachi decretum fuisse dicit.

3. Aristoph., *Acharn.*, 404 sq., 477 sq. *Thesmophoriaz.*, 95, 265. *Equit.*, 1249. *Pax*, 76, 136, 147 et schol., etc.

4. Archontem quendam, nomine Phyromachum, ante Euclidis aetatem exstitisse testatur titulus, *C. I. A.*, I, n. 539.

sint (anno CCCCXI ante Ch.), ut sexus uterque in theatro separatim sederet ad plebem revera tulisse[1].

4. Aristophan., *Aves*, v. 785 sq.

οὐδέν ἐστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.
αὐτίχ' ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος,
εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖσι τῶν τραγῳδῶν ἤχθετο,
ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε,
κᾆτ' ἂν ἐμπλησθεὶς ἐφ' ἡμᾶς αὖθις αὖ κατέπτατο.

Tragicis ludis[2] comicos quaque die continenter successisse haec documento sane sunt[3]. Poetae tamen verbis nimis ii serviunt, qui nullam spectantibus feminis, post quam tragoedias audissent, exeundi fuisse facultatem inde pro certo sumpserunt[4]. Nam inter tragoedias et comoedias temporis aliquid interpositum sit, cum ob alia, tum scaenae mutandae causa, necesse est[5]. Ita quibus erat

1. De eo perdifficili loco in diversam partem disseruerunt Böttiger, *op. l.*, pp. 259 sq., Passow, *l. l.*, Richter, *op. l.*, pp. 26-27, Becker, *op. l.*, III, p. 175, Benndorf, *op. l.*, p. 11. Bergk, *op. l.*, p. 49, n. 163. Kock, in *Fleckeisen's Jahrb. Suppl.* III, pp. 265-267.

2. Plane temerariam atque inutilem duco emendationem τῶν τρυγῳδῶν quam A. Müller protulit (*Bühnenalterth.*, p. 322, n. 4).

3. O. Navarre, *Dionysos*, pp. 44-45.

4. Welker, *l. l.* Benndorf, *op. l.*, p. 29.

5. Valde igitur repudio illud Haighii effatum : « The tragic and the comic competitions frequently took place upon the same days, and succeeded one another *without any interval;* and *it is difficult to suppose* that, after the tragedies were over, a large part of the audience had to be turned out before the comedies could begin » (*The attic Theatre*, p. 297).

volentibus, feminisque praecipue, ante comicos ludos exeundi occasio fiebat[1].

5. Aristophan., *Pax*, v. 964.

Rebus divinis rite perpetratis, Trygaeus ut reliquo hordeo (κριθή) spectantes adspergat servo imperat. In his quid sit ridiculi scholiastes docet, voci κριθῇ monens duplicem notionem, hordei scilicet et veretri, esse subjectam[2].

TRYG. καὶ τοῖς θεαταῖς ῥίπτε τῶν κριθῶν. SERV. ἰδού.
TRYG. ἔδωκας ἤδη; SERV. νὴ τὸν Ἑρμῆν, ὥστε γε
τούτων ὅσοιπέρ εἰσι τῶν θεωμένων
οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ὅστις οὐ κριθὴν ἔχει.
TRYG. οὐχ αἱ γυναῖκές γ' ἔλαβον. SERV. ἀλλ' εἰς ἑσπέραν
δώσουσιν αὐταῖς ἄνδρες.

Omnium quae adhuc allata sunt testimoniorum hoc equidem gravissimum duco, quippe quod Aristophanis *Pacem* mulieribus coram actam esse manifestum faciat[3]. Quod frustra et Passovius et Eggerus et Bergkius aliique infitiati sunt[4], nihil hordei a mulieribus esse accep-

1. Id feminis, si eas in certo quodam theatri loco spectavisse credas, eo facilius fuit.

2. Hesych. s. v. κριθή · πυρόν · ἢ τὸ τοῦ ἀνδρὸς μόριον. Suid., *eod. v.*

3. Ita censuerunt Hermann in secunda *Chariclis* editione, t. III, p. 140, et H. Blümner, *op. l.*, p. 73, n. 1, et Benndorf qui haec scite scripsit : « Die Zweideutigkeit dieses Witz hat doch nur Sinn, wenn Frauen zugegen sind und wirklich beim Auswerfen nichts erhalten haben. Dies letztere war nur dann möglich und notwendig wenn der Werfende sie nicht erreichen konnte » (*op. l.*, p. 12, n. 1).

4. Locis supra laudatis.

tum quod nulla in theatro esset mulier volentes. Sed nihili facienda ea explicatio. Nam ex ipsis verbis τῶν θεωμένων eas de quibus agatur mulieres in spectantium numero haberi apparet. Praeterea quid eo sensu frigidius excogitari potest, quid insulsius, quid denique magis arcessitum? Id tantum in controversiam forsitan vocari posse concedam utrum de meretricibus an de matronis sermo sit[1]. At valde abhorret a priore sententia vocabulum ἄνδρες : quo non dubito, cum praesertim verbum γυναικῶν antecesserit, quin mariti intellegendi sint. Cf. Aristophanis *Aves*, v. 794, ubi ὁ ἀνήρ maritum significat.

Ad summam, si testimonia utrimque allata computetemus, fateamur necesse est tam potens, tam inexpugnabile nullum esse ut controversiam dirimat.

Altera igitur nobis quaerendi via ingredienda est.

Quam facile inveniemus, modo nobis haec obversentur. Comoediis qui muliebrem sexum interfuisse negant, plerosque non scriptorum loci quidem ad eam sententiam adduxere; sed e contrario, cum ita ob Aristophanis fabularum impuritatem ultro praejudicavissent, certis auctoribus rem praepostere affirmare voluerunt.

In hac igitur praesumpta multorum opinione est controversiae quasi cardo. Quam ob causam quatenus vera sit nunc inquirendum.

1. O. Navarre, *Dionysos*, p. 233, n. 3.

§ 2. — *Argumentum ex graecarum comoediarum obscenitate ductum refellitur.*

De Aristophanis fabulis acerrimus quidam aestimator haec ferme scripsit[1] : « Antiqua comoedia mera est obscenitas... In ea enim homo et femina palam corporis necessitatibus indulgent... Nudi cum a tergo, tum a fronte cernuntur... Illorum amores ad naturalem finem, scilicet ad conjunctionem festinant... De generatione sescenties apud Aristophanem ridicule commemoratur; immo ea, tantum quod in scaena coitus non fit, sub oculos interdum fere subjicitur[2]. » Quae non de Aristophane tantum, sed de ceteris quoque ejusdem aetatis comicis, quorum reliquias habemus, vera sunt. Adde quod in graeca comoedia non minori quam verba et gestus pudori fuit ipse histrionum ornatus, quippe qui obesissimum ventrem, et distentas nates, et rubrum e corio phallum ostentarent[3].

Magnum sane monstrum quod Athenienses talia spectacula tulerunt. Quod si velis intellegere, antiquos mores animo induas necesse est. Falso enim credat aliquis

1. Couat, *Aristophane et l'ancienne comédie attique*, p. 375 sq.
2. Aristophan., *Lysistrat.*, v. 904-951; *Vesp.*, 1335 sq.; *Pax*, 887 sq.; *Thesmophoriaz.*, 636 sq.
3. H. Dierks, *Ueber das Costüm der griech. Schauspieler in der alt. Komödie*, in *Archäol. Zeit.*, 1885, pp. 31 sq. A. Müller, *Bühnenalterth.*, pp. 245 sq. O. Navarre, *Dionysos*, pp. 156 sq.

pudoris sensum natura nobis esse insitum, quem christiana religio hominibus prima ingeneraverit[1]. Eo contra Graecos fere caruisse multa testantur. Nam semitecti ambulabant, laxis et fluitantibus vestibus[2]. In balneis, in gymnasiis, in ludis palam cotidie se nudabant[3]. In quoque horto stabat custos Priapus, arrecto veretro[4]. Agricolis mos erat ex vitibus, ut vindemiae prospere succederent, phallos suspendere[5]. Nonnunquam ipsis tumulis phallus insculpebatur[6]. Decorabantur omnium fere deorum templa statuis et tabellis, res turpes exprimentibus[7]. Sed nihil Graecorum inverecundiae majori signo est quam marmorei illi termini, quos hermas vocabant : in quibus, ut fama est, duo quam maxime inter se contraria inscribebantur, phalli obscena imago necnon breve quoddam de moribus praeceptum[8].

1. Taine, *Philosophie de l'art*, 2e édit. (1872), pp. 106 sq.

2. Taine, *Voyage en Italie*, 2e éd. (1874), I, p. 138 « Puisque j'ose parler sans marchander et dire les choses comme je les sens, mon avis décidé est que le grand changement de l'histoire est l'avènement du pantalon...; il marque le passage de la civilisation grecque et romaine à la moderne. »

3. *Ibid.*, p. 147 : « Une cité entière choisissait pour la lutte et la course les meilleurs jeunes gens dans les meilleures familles; elle assistait aux jeux; hommes et femmes étaient là; on comparait les dos, les jambes, les poitrines, tous les muscles en mouvement... »

4. Diodor., IV, 6. Ovid., *Fast.*, I, 415. Horat., *Satir.*, I, 8. Cf. Champfleury, *Hist. de la caricat. antiq.*, 2e éd., pp. 135-152.

5. Böckh, *Len.*, p. 119.

6. Fr. Lenormant, *La Voie sacrée Eleusinienne*, I, p. 343, n. 1.

7. Vide p. 84.

8. Platon, *Hipparch.*, p. 228 D.

Hanc vero inverecundiam, cum mores concedebant, tum ipsa religio honestabat, et, ut ita dicam, sacrabat. Videntur enim prisci Graeci, cum pro numinibus singulas naturae facultates colerent, eam praecipue generandi facultatem, frugibus et animantibus et hominibus datam, ut in qua totius mundi salus et ratio posita sit, mirationi et honori habuisse[1]. Ita fit ut in omnium fere deorum et dearum cultu apud Graecos phalli et κτενός veneratio lateat : quibus impudicis ritibus utrumque pariter sexum adfuisse constat.

De Cereris primum nonnulla dicamus. Athenis Στήνια vocabantur *Thesmophoriorum* pars quaedam nocturna, in qua mulieres jocosis inter se dictis lacessere solebant[2]. Quae convicia qualia fuerint nos docet hoc proverbium apud Graecos sermone tritum : « mulieribus Thesmophoria agentibus impurius loqui[3] ». In Sicilia quoque talia feminarum jurgia, quod Cereri ob raptum filiae moerenti verborum obscenitas risum excussisset, usu recepta esse fertur[4].

1. Cf. Renan, *Feuilles détachées* (*Examen de conscience philosophiq.*), p. 424 : « L'amour, entendu d'une manière élevée, est ainsi une chose religieuse, ou plutôt fait partie de la religion. Croirait-on que cet antique reste de parenté avec la nature, la frivolité et la sottise aient réussi à le faire envisager comme un reste honteux de l'animalité ? Est-il possible qu'une fin aussi sainte que celle de continuer l'espèce ait été attachée à un acte coupable ou ridicule ? On prête ainsi à l'Eternel une intention grotesque, une véritable drôlerie. »

2. Photius, s. v. στήνια · ἑορτὴ Ἀθήνησιν..., ἐλοιδοροῦντο δ' ἐν αὐτῇ νυκτὸς αἱ γυναῖκες ἀλλήλαις. Hesych., s. v. στήνια et στηνιῶσαι.

3. Cleomed., *Cycl. theor.*, II, 1, p. 166, ed. Ziegler, 1891.

4. Diodor. Sicil,, V, 4.

Eodem festo κτένα mulieres esse veneratas testatur Theodoretus[1]. Cujus fidem, ut christiani, si in suspicionem voces, hunc Heraclidae in libro *De ritibus* locum afferam : « Syracusis, inquit, praecipuo Thesmophoriorum die, e sesamo et melle muliebria pudenda conficiuntur, quae in tota Sicilia μύλλους vocant, atque ea in dearum honorem circumferuntur[2]. »

Nec Thesmophoriis phalli religionem abfuisse verisimile est, cum scripserit Arnobius : « Alimuntia mysteria quibus phallos subrigit Graecia et simulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescunt[3]. »

Denique apud ipsum Aristophanem ea Thesmophoriorum lascivia proditur : qui mulieres, binas singulis in tabernaculis pernoctantes, ejusmodi voluptatibus quas natura non concesserit indulsisse criminatur[4].

De *Eleusiniis* multa christiani scriptores, sed ea, quia summo in paganam religionem odio flagrabant, parum fida tradiderunt. Quae, ut universa explodere, ita accipere, aeque periculosum sit. Itaque singula sunt pensanda, et, quotiens continget, cum iis quae ipsi antiqui rettulerunt conferenda[5].

1. Theodoret., *Curat. graec. affect.*, t. IV, p. 889, ed. Migne : καὶ τὸν κτένα ... ἐν τοῖς θεσμοφορίοις.

2. Athenae., XIV, p. 647 A : Ἡρακλείδης ὁ Συρακόσιος ἐν τῷ Περὶ θεσμῶν.....

3. V, 28.

4. Aristoph., *Thesmophoriaz.*, 204 : γυναικῶν ἔργα νυκτερείσια — θήλειαν Κύπριν.

5. Foucart, *Recherch. sur la nature et l'orig. des myst. d'Eleusis*, p. 45 (*Mém. de l'Acad. des inscript.*, t. XXXV, 1896,

Mysteriis initiari, nisi quis primum rite lavando se expiasset, religione vetabatur. Quamobrem, quadam die cui ἅλαδε μύσται cognomen erat, omnes utriusque sexus mystae, dionysiaca nebride vix velati, maris oram petebant, ibique promiscue, omisso omni pudoris respectu, lavabantur. Qua occasione data dicitur Phryne, ut formae suae mirationem moveret, sese nudam, Aphrodites more, e fluctibus exeuntem in conspectu omnium ostendisse[1].

Alium Eleusiniorum ritum γεφυρισμούς vocitabant[2]. Mystas enim sollemne erat, dum Cephisum amnem superarent, a plebecula utramque pontis crepidinem occupante contumeliis et jocis invadi, atque ipsos par pari referre[3]. Unde ortum certamen dicunt, eumque qui ceteros procacitate vicisset taenia publice donatum esse[4]. Hos quidem gephyrismos imitatus est Aristophanes in *Ranarum* choro (v. 416 sq.) : qui praeterea inter altercantes scortum quoddam stetisse auctor est, quod, veste obscene discissa, Baubonis vel Iambes personam sustineret[5]. Sed ea est turpitudine totus hic locus quem latine transferre nolim[6].

2e partie). Cf. Bloch, *Der Kult u. die Mysterien von Eleusis*, 1897. Anton, *Die Mysterien von Eleusis*, 1899.

1. Hesych., s. v. ἅλαδε μύσται. Plutarch., *Vita Phocion.*, 28. *C. I. A.*, IV, 1, p. 66, n. 53 a. Athen., XIII, p. 590 F.

2. F. Lenormand, s. v. *Gephyrismoi* in *Diction. des antiquit. grecq. et rom., publié par Daremberg et Saglio*. Idem, *La Voie sacrée Eleusinienne*, I, pp. 237 sq.

3. Hesych., s. v. γεφυρισταί.

4. Aristoph., *Ran.*, 392 : παίσαντα καὶ σκώψαντα νικήσαντα ταινιοῦσθαι.

5. *Ibid.*, 410. Cf. Hesych., s. v. γεφυρίς · πόρνη τις ἐπὶ γεφύρας κ. τ. λ.

6. Aristophan., *Ran.*, 416-430 : βούλεσθε δῆτα κοινῇ σκώψωμεν Ἀρχέδημον...

De Eleusiniis quoque spectaculis ecclesiae patres cum multa commenticia, tum vera quaedam habent. Adhibita igitur ratione, vir doctus Foucart in Eleusiniam scaenam tres turpissimas fabulas inductas esse convicit[1] :

Quarum una de Baubone ancilla est. Eam enim fama fert, cum Cereri de via defessae bibere officiose ministravisset, denegante prae moerore dea, ita succensuisse ut, collecta subito ad suras tunica, velanda corporis nudaret : quo aspectu ipsam Cererem risum non tenuisse[2]. Haec summa rerum; nam quaedam dictu nimis foeda praetereo[3]. « Ea sunt, ait Clemens Alexandrinus, secreta Atheniensium mysteria (ταῦτ' ἐστὶ τὰ κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια)[4]. » Cf. Harpocration. s. v. Δυσαύλης.

Aliam de Cerere et Celeo fabulam dicit Gregorius Nazianzenus Eleusine esse actam, quam referre pudeat[5]. His verbis obscuris quid is significaverit Aristidis scholiastes et auctor quidam orphicus monent : deam Celeo regi, ut hospitii accepti gratiam redderet, se dedisse[6].

1. Foucart, *Recherch...*, p. 43 sq.

2. Clem. Alexandr., *Protreptic.*, II, p. 84, ed. Migne.

3. Citat Clemens haec orphica carmina :

ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρετο, δεῖξε δὲ πάντα
σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον · παῖς δ' ἦεν Ἴακχος ·
χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις

4. *L. l.*

5. Gregor. Nazianz., *Orat.*, 39, 4 : οὐδὲ Κόρη τις ἡμῖν ἁρπάζεται καὶ Δημήτηρ πλανᾶται καὶ Κελεούς τινας ἐπεισάγει καὶ Τριπτολέμους καὶ δράκοντας καὶ τὰ μὲν ποιεῖ τὰ δὲ πάσχει · αἰσχύνομαι γὰρ ἡμέρᾳ δοῦναι τὴν νυκτὸς τελετὴν καὶ ποιεῖν τὴν ἀσχημοσύνην μυστήριον · οἶδεν Ἐλευσὶς ταῦτα καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων καὶ σιωπῆς ὄντως ἀξίων ἐπόπται.

6. Schol. Arist., p. 32. *Hymn. orphic.*, XLI, v. 5-9. Cf. Foucart, *op. l.*, p. 46-47.

Sed de ficto hierophantae cum Cereris antistita connubio maxime christiani scriptores stomachantur[1]. Neque, ut videtur, immerito : nam antistita ab hierophanta obscurum in antrum vi rapta esse perhibetur. Qua de re consentiunt ipsi pagani auctores, eo spectaculo incestum Jovis cum Cerere matre commercium commemorari docentes[2].

Bacchi quoque religiones in phalli veneratione fere totas versatas esse e plurimis testimoniis patet. Sua enim tempestate auctores sunt Heraclitus atque Herodotus phallophorias per universam Graeciam in Bacchi honorem jam celebratas esse[3]. Quae, saeculo insequente, in nonnullis civitatibus, teste Aristotele, adhuc exstabant[4]. Quin, primo ante Christum saeculo, scribit Diodorus Siciliensis phallum in Dionysi sacris summo honore coli[5].

1. Clem. Alexandr., *op. l.*, p. 76 : Δηοῦς δὲ μυστήρια καὶ Διὸς πρὸς μητέρα Δήμητραν ἀφροδίσιοι συμπλοκαὶ, καὶ μῆνις οὐκ οἶδ' ὅτι φῶ λοιπὸν μητρὸς ἢ γυναικὸς τῆς Δηοῦς... Aster., ἐγκώμ. μαρτ., p. 323 B (t. XL, edit. Migne).

2. Schol. Platon., *Gorg.*, p. 497 C. Cf. Foucart, *op. l.*, pp. 48-49.

3. Heraclit., *Frag.* 84 (in *Fragm. philosoph.*, ed. Müllach, I, p. 326) : εἰ μὴ γὰρ Διονύσῳ πομπὴν ἐποιοῦντο καὶ ὕμνεον ᾆσμα αἰδοίοισι. ἀναιδέστατα ἂν εἴργαστο. Herodot., II, 49 : Ἕλλησι γὰρ δὴ Μελάμπους ἐστὶ ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ Διονύσου τό τε οὔνομα καὶ τὴν θυσίην καὶ τὴν πομπὴν τοῦ φαλλοῦ. *Ibid.*, 48.

4. Aristotel., *Poetic.*, c. 4 : ἡ δὲ (κωμῳδία) ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ (ἐξαρχόντων).

5. I, 22 : διὸ καὶ τοὺς Ἕλληνας, ἐξ Αἰγύπτου παρειληφότας τὰ περὶ τοὺς ὀργιασμοὺς καὶ τὰς Διονυσιακὰς ἑορτὰς, τιμᾶν τοῦτο τὸ μόριον ἔν τε τοῖς μυστηρίοις καὶ ταῖς τοῦ θεοῦ τούτου τελεταῖς τε καὶ θυσίαις, ὀνομάζοντες αὐτὸ φαλλόν. — Cf. Baumeister, *Denkmäl.*, s. v. Dionysos, p. 449, ubi fig. 496 Bacchicam initiationem imitatur : « In ein weites Gewand ist der

Adde quod artifices Bacchum, ejusque comites, Satyros, Pana, Priapum ithyphallos plerumque fecere. Unde manaverunt haec Bacchi cognomina, Phallen, Orthos, Enorches, et similia alia[1].

Attamen, ut in cunctis Graeciae regionibus, ita praecipue in Attica ea Bacchicae religionis protervitas perspicitur.

De *Dionysiorum rusticorum* phallica pompa jam supra dictum est[2]. Ex ea impudicisque carminibus quae tum ab agricolis fundebantur comicos ludos esse ortos monendum[3].

Dionysia urbana falso credat aliquis obscenis his ritibus quinto jam saeculo esse purgata. In titulo enim ea aetate inciso, qui de colonis Bream deducendis est, ii bovem atque oves duo ad Panathenaea magna, ad Dionysia vero phallum se missuros pollicentur[4]. Quibus condicionibus non est dubium quin adstrictae sint ceterae

Einzuweihende vollständig mit Kopf und Armen eingehüllt; er steht halb gebückt, sein Haupt wird von der Priesterin niedergehalten, die... von dem zu Weihenden weg nach den heiligen Symbolen blickt; ein älter Silen... hält diese auf beiden Händen empor. Es ist die mystiche Schwinge, aus der zwischen Früchten ein mächtiger Phallos hervorragt ..; er ist es, der sich dem Blicken des Einzuweihenden zeigen soll, sobald von seinen Augen die Hülle fällt... »

1. Vide F. Lenormand, in *Dictionn. des antiquités grecq. et rom.*, s. v. Bacchus, p. 616.

2. P. 42. Cf. Plutarch., *De cupiditat. divitiar.*, 8.

3. Aristote, *Poetic.*, c. 4.

4. *C. I. A.*, I, 31 (Olymp. 84) : βοῦν δὲ καὶ [πρόβατα δύο ἀπά]γειν εἰς Παναθήναια τὰ μεγάλ[α καὶ εἰς Διονύσι]α φαλλόν.

Atheniensium coloniae. Sequitur ingentem phallorum numerum longo ordine procedentium in urbana pompa spectaculo fuisse[1].

Petulantiore etiam more videntur *Lenaea* esse acta, quanquam de his nihil fere compertum aliud habemus, nisi inter celebrantes conviciorum quoddam certamen exstitisse[2].

Anthesteriis potantium certamen fuit et pompa phallica[3].

Sed in Bacchi festis quid intemperantius ipsis fabulis satyricis, quae, quoniam ludis tragicis continebantur, necesse est a feminis spectatae sint[4]? Satyrorum enim ornatus qualis fuerit e picturis novimus : nihil aliud quam villoso campestri cingebantur, cui a fronte affixus phallus enormis et arrectus, a tergo cauda equina. Reliquum corpus, veste quadam stricta et carnis colorem reddente indutum, nudum diceres[5]. Neque verecundiora

1. Narrat Callixenus Rhodius in pompa, a Ptolemaeo Philadelpho instructa, curru vectum esse phalli simulacrum aureum, centum et viginti cubitorum (*ap.* Athen., V, 201 E).

2. Suidas, s. v. τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα · Ἀθήνησι γὰρ ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἔσκωπτον καὶ ἐλοιδόρουν · τὸ δ' αὐτὸ κἂν τοῖς Ληναίοις ὕστερον ἐποίουν. Photius, *eod. verbo.*

3. Suid., *ibid.* Aelian., *Hist. var.*, II, 41 : καὶ ἐν Διονύσου δὲ ἑορτῇ προύκειτο ἆθλον τῷ πιόντι πλέον. Aristoph., *Acharn.*, 1001. Athen., X, 437 C. *C. I. A.*, II, 321 (Olymp , 125, 3).

4. Priscis enim temporibus fabula satyrica nihil aliud fuit quam tragicae tetralogiae extremus actus : quamobrem coram iisdem spectatoribus sine ulla intermissione agebatur. (Vid. Maur. Croiset, *De la tétralogie dans l'hist. de la trag. grecq.*, in *Rev. des Étud. grecq.*, I, 1888, p. 369).

5. Wieseler, *Das Satyrspiel.* Idem, *Theatergebäude und Denk-*

vestibus verba ipsa. Quod Euripidis *Cyclopa* legenti statim constabit; nam aliquot in hac fabula locos ab Aristophane putares scriptos[1]. Versu enim 327 sqq. Cyclops Jovis potestatem talibus verbis irridet : « At ego Jovis non metuo fulmen...; quotiens e caelo imbrem effundit, pallium meum pertundo, cum tonitribus decertans crepitu. » Paulo infra Satyri cum gestu obsceno queruntur virilitatem jamdudum desidia languescere (v. 439-440) :

ὡς διὰ μακροῦ γε τὸν σίφωνα τὸν φίλον
χηρεύομεν τόνδ' οὐκ ἔχοντα καταφυγήν.

Alio denique loco (v. 528) monstrum poeta induxit Sileno pro Ganymede uti conans; cui reluctatur Silenus, magno simulato terrore, clamitans : « Perii, o filii; infanda jam passurus sum. » Non minus sordide Dionysius tyrannus in suo *Hercule febriente* heroem illum, crudidate laborantem, a Sileno clystere curari finxerat[2]. Ad haec consonant quaedam ex ipsius Aeschyli et Sophoclis

mäler..., VI, 1-10. A. Müller, *Bühnenalterthüm.*, pp. 241 sq. O. Navarre, *Dionysos*, pp. 175 sq.

1. Egger, *Essai sur l'hist. de la critique chez les Grecs*, 1849, p. 507 : « Il répugne absolument de croire que... les femmes assistassent aux comédies d'Aristophane. C'est déjà beaucoup, c'est déjà trop que le jour des concours de tragédies il leur fût permis de rester jusqu'à la fin du spectacle, je veux dire jusqu'à la représentation du drame satyrique, car on voit par ce qui reste de ces petites compositions, notamment par le *Cyclope* d'Euripide, combien elles admettaient de licence dans les gestes et dans le langage. »

2. Eustath. ad Homer., *Iliad.*, XI, 514. *Euripid. et tragicor. omnium fragm.*, ed. Didot, p. 110.

satyris reliquiae. In Aeschyli *Ostologis* Ulixes, quot injurias et incommoda a procis tulerit enarrans, matula quae murram non oleret caput sibi esse confractum dicit[1]. Quod scurrile dictum bis iterum apud Sophoclem in *Pandora*[2] et in *Achaeorum convivio*[3] reperias. Ad tam inurbanas facetias patet utrumque poetam, necessitate quadam satyricae artis coactum, declinavisse[4].

E numero Bacchicorum sollemnium erant quoque *Brauronia* et *Haloa*.

Utrum *Brauronia* unum an duo eodem nomine sollemnia fuerint non liquet. (Cf. supra, p. 45.) Quicquid est, festum quoddam Braurone ab utroque sexu celebratum esse constat, in quo viri perpotarent feminasque vi raperent[5].

De *Halois* mira quaedam Luciani scholiastes prodidit. In his pium arbitratae sunt Eleusiniae mulieres turpissimos inter se sermones serere, phalli et κτενός simulacra manibus tractantes. Praeterea iis mensa, cum exquisitissimis dapibus, tum placentis in genitalium habi-

1. *Aeschyl. tragoed. et fragm.*, ed. Didot, p. 241, fr. 252. Cf. fr. 253. Injure igitur nonnulli *Ostologos* tragoediam fuisse judicaverunt.

2. *Tragicorum graecor. fragm.*, ed. Nauck, editio secunda (1889), p. 238, fr. 444.

3. *Ibid.*, p. 162, fr. 140.

4. Vide J. Denis, *Drame satyrique* in *Annales de la Fac. des lettres de Caen*, Ve année, n. 2, pp. 152 sq.

5. Aristophan., *Pax*, 874, et schol. Suid., s. v. Βραυρών · τόπος τῆς Ἀττικῆς ἐν ᾧ τὰ Διονύσια ἦγοντο καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. Cf. A. Mommsen, *op. l.*, p. 452 sq.

tum figuratis instructa, publico sumptu apponebatur[1].

In atticis Panos sollemnibus γέλως καὶ παιδιά pro ritibus habebantur[2].

Sed nihil iis externis religionibus atrocius et indignius, in quas tot athenienses mulieres concurrisse supra diximus[3].

In Adonidis sacris auctor est Clemens Alexandrinus phalli simulacra inter dei cultores esse dispertita, nummumque Veneri, quasi meretrici, fuisse solvendum[4].

Mater quoque deorum phallicis ritibus, inter quos atrocissima fuit castratio, Athenis colebatur[5].

Sed Sabazii religionem ceteris magis ex Demosthene cognitam habemus[6]. Caerimoniarum pars publica et

1. Schol. Lucian., *Dialog. meretr.*, VII, 4 : ἐν ταύτῃ (τῇ ἑορτῇ) καὶ τελετή τις εἰσάγεται γυναικῶν ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ παιδιαὶ λέγονται πολλαὶ καὶ σκώμματα · μόναι δὲ εἰσπορευόμεναι ἐπ' ἀδείας ἔχουσιν ἃ βούλονται λέγειν · καὶ δὴ τὰ αἴσχιστα ἀλλήλαις λέγουσι τότε, αἱ δὲ ἱερεῖαι λάθρα προσιοῦσαι ταῖς γυναιξὶ κλεψιγαμίας πρὸς τὸ οὖς ὡς ἀπόρρητόν τι συμβουλεύουσιν · ἀναφωνοῦσι δὲ πρὸς ἀλλήλας πᾶσαι αἱ γυναῖκες αἰσχρὰ καὶ ἄσεμνα, βαστάζουσαι εἴδη σωμάτων (σχημάτων?) ἀπρεπῆ ἀνδρεῖά τε καὶ γυναικεῖα · ἐνταῦθα οἶνός τε πολὺς πρόκειται καὶ τράπεζαι πάντων τῶν τῆς γῆς καὶ θαλάσσης γέμουσαι βρωμάτων..... · πρόκειται δὲ ταῖς τραπέζαις καὶ ἐκ πλακοῦντος κατεσκευασμένα ἀμφοτέρων γενῶν αἰδοῖα. — Vide E. Rohde, *Rhein. Mus.*, XXV (1870), p. 548.

2. Lucian., *Bis accusat.*, 10.

3. Vide supra, p. 48.

4. Clem. Alexandr., *Protrept.*, II, p. 76, ed. Migne. — Aristoph., *Lysistrat.*, 387-388 : τῶν γυναικῶν ἡ τρυφὴ .. ὅ τ' Ἀδωνιασμὸς οὗτος οὑπὶ τῶν τεγῶν. Cf. *Ibid.*, 395. 556 : νὴ τὴν Παφίαν Ἀφροδίτην. Plutarch., *Vita Alcibiad.*, 18. Platon. comic. fragm. 1 apud Meineke, *Fragm. comicorum graec.*, vol. II, pars II, p. 615.

5. Plutarch., *Vita Nic.*, 13. Jamblic., *de Myst.*, III, 10 : γυναῖκες γὰρ αἱ προηγουμένως μητρίζουσαι. Foucart, *op. l.*, p. 64.

6. Demosthen., *Cor.*, 259-260. Auctor est Strabo (X, III, 18) thia-

diurna : urbis vias utroque sexu sodales, clamantes et saltantes, agmine peragrabant. Noctu vero peragebantur initiationes. Quarum inferiorem gradum Demosthenes ita descripsit : « Vir factus, Aeschines, matri tuae initianti librum lectitabas, eamque in ceteris praestigiis adjuvabas, mystas nebride induens et aqua lustrans et luto ac furfure abstergens : et, postquam eos lustratos erexeras, dicere jubebas : « mala effugi, repperi meliora », id laudi tibi ducens neminem unquam validius ululasse ». De majore initiationis gradu (ἐποπτεία) omisit dicere Demosthenes, sed eum christiani scriptores strictim attingunt : anguem aiunt mystarum in sinum ita immissum esse ut per vestes defluens subtus exiret[1]. Quo ritu Jovem cum Proserpina filia, postquam in anguis formam se vertisset, inceste coisse significabant[2].

De Isodaetis sacris, a Thespia Phryne Athenas invectis, id tantum enotuit mulieres et viros in promiscuo impudicitiae se dedisse[3].

Ex iis quae dicta sunt patet plerorumque deorum cul-

sum eum, cujus Glaucothea, Aeschinis mater, sacerdos esset, dei Sabazii sacrum fuisse.

1. Clem. Alexandr., *Protreptic.*, II, p. 76. Arnob., V, 21.

2. Foucart, *op. l.*, p. 78 F. Lenormand, *Sabazius*, in *Revue archéologiq.*, 1874, pp. 300 sq., 380 sq.; 1875, pp. 43 sq.

3. Ex oratione quam accusator Euthias adversus Phrynen habuit haec verba exstant : ἐπέδειξα τοίνυν ὑμῖν ἀσεβῆ Φρύνην, κωμασάσαν ἀναιδῶς, καινοῦ θεοῦ εἰσηγήτριαν, θιάσους ἀνδρῶν ἐκθέσμους καὶ γυναικῶν συναγαγοῦσαν (*Orat. attici*, ed. Didot, p. 426, fr. 217). Harpocrat., s. v. Ἰσοδαίτης · Ὑπερείδης ἐν τῷ ὑπὲρ Φρύνης · Ξενικός τις δαίμων ᾧ τὰ δημώδη γύναια καὶ μὴ πάνυ σπουδαῖα ἐτέλει. Foucart, *op. l.*, pp. 81 et 134.

tum in Graecia e duabus inter se contrariis partibus constitisse, quarum altera gravis et severa esset, altera autem sic hilaris et lasciva ut saepe in effusam luxuriam descisceret. Neque ipsos antiquos id latuit. Nam scribit Plato in *Cratylo* deos ad jocandum esse pronos : φιλοπαίσμονες γὰρ καὶ οἱ θεοί[1]. Atque Aristotelis in *Politicis*, dum turpia signa et tabulas e deorum templis arceri jubet, addit tamen : εἰ μὴ παρά τισι θεοῖς τοιούτοις οἷς καὶ τὸν τωθασμὸν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος[2]. Quos deos iis verbis indicaverit Aristoteles intellegere facile est. Apud Herodotum enim legimus Aeginetas, postquam Epidauriis Damiae et Auxesiae simulacra vi abripuissent, feminarum choros inter se maledictis certantium (χοροὶ γυναικήϊοι κέρτομοι) ad conciliandas sibi eas deas instituisse[3]. Item in *Argonauticis* Apollonius Rhodius mulieres ex insula Anaphe induxit, dum res divinae Apollini fiunt, cum viris dei hilarandi causa inverecunde rixantes[4]. Sed imprimis in Cereris et Bacchi religione duplex ea natura exstat. Ad Cererem enim haec canit in *Ranis* mystarum chorus : χώρει νυν πᾶς ἀνδρείως..... ἐγκρούων κἀπισκώπτων καὶ παίζων καὶ χλευάζων[5], et paulo inferius :

1. 406 C.

2. IV (VII), 17, p. 1336 *b*. Cf. Lucian., *Piscat.*, 25 : καίτοι ἐκεῖνοι μὲν (Aristophanes et Eupolis) καθ' ἑνὸς ἀνδρὸς ἐτόλμων τοιαῦτα καὶ ἐν Διονύσου ἐφειμένον αὐτὸ δρᾶν, καὶ τὸ σκῶμμα μέρος ἐδόκει τῆς ἑορτῆς, καὶ ὁ θεὸς ἴσως χαίρει φιλόγελώς τις ὤν. Idem, *Anachars.*, c. 22.

3. V, 83.

4. IV, 1727.

5. 375-376.

Δήμητερ, ἁγνῶν ὀργίων
ἄνασσα, συμπαραστάτει,
καὶ σῷζε τὸν σαυτῆς χορόν ·
καί μ' ἀσφαλῶς πανήμερον
παῖσαί τε καὶ χορεῦσαι ·
καὶ πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰ-
πεῖν, πολλὰ δὲ σπουδαῖα, καὶ
τῆς σῆς ἑορτῆς ἀξίως
παίσαντα καὶ σκώψαντα νι-
κήσαντα ταινιοῦσθαι[1].

De Dionysi vero religione amplissimum testem Platonem habemus, cujus in *Legibus* Lacedaemonius Megillus civium suorum et Atheniensium mores ita comparat : τὰ δ' ἐν Σπάρτῃ κάλλιστ' ἀνθρώπων δοκεῖ μοι κεῖσθαι τὰ περὶ τὰς ἡδονάς... · οὔτ' ἂν ἐπ' ἄγρων ἴδοις οὔτ' ἐν ἄστεσιν ὅσων Σπαρτιάταις μέλει συμπόσια οὐδ' ὁπόσα τούτοις ξυνεπόμενα πάσας ἡδονὰς κινεῖ κατὰ δύναμιν, οὐδ' ἔστιν ὅστις ἂν ἀπαντῶν κωμάζοντί τινι μετὰ μέθης οὐκ ἂν τὴν μεγίστην δίκην εὐθὺς ἐπιθείη, καὶ οὔτ' ἂν Διονύσια πρόφασιν ἔχοντ' αὐτὸν λύσαιτο, ὥσπερ ἐν ἁμάξαις εἶδόν ποτε παρ' ὑμῖν ἐγώ · καὶ ἐν Τάραντι δὲ παρὰ τοῖς ἡμετέροις ἀποίκοις πᾶσαν ἐθεασάμην τὴν πόλιν περὶ τὰ Διονύσια μεθύουσαν · παρ' ἡμῖν δ' οὐκ ἔστ' οὐδὲν τοιοῦτον[2]. Inde apparet in ea sententia Graecorum plerosque fuisse ut ebrietate omnibusque quae ex hac oriantur libidinibus Bacchum a se pie coli crederent. Quae opinatio iis tam penitus insederat ut ipse Plato, formam quandam legum

1. 384-393. Vide F. Lenormand, *Voie sacrée Eleusin.*, pp. 237 sq.

2. I, p. 637 A.

fingens perfectam et absolutam, ebrietatem plane vetare non ausus sit. Concessit enim in ejus dei festis qui vinum hominibus dederit largiore vino uti : πινεῖν δὲ εἰς μέθην οὔτε ἄλλοθί που πρέπει πλὴν ἐν ταῖς τοῦ τὸν οἶνον δόντος θεοῦ ἑορταῖς [1].

1. VI, p. 775 B.

§ 3. — *Controversiae summa.*

Sed omnes nostras argumentationes breviter colligamus, per capita decurrentes.

I. De scriptorum testimoniis ita judico :

Nullus reperitur locus, quo muliebrem sexum a comicis ludis esse prohibitum adducamur.

De spectantibus contra feminis intellegendus est locus quidam Aristophanis in *Pace* (v. 964).

II. Argumento ex Aristophanis fabularum obscenitate sumpto haec oppono :

Atheniensium vita et mores multa ante omnium oculos cotidie visu foeda proponebant.

Praeterea scatet ipsa antiqua religio impudicis caerimoniis, quibus mulieres non abstinebant.

Cum ceteris, tum dionysiacis festis, quorum e lascivia comoedia effloruit, admittebantur.

Pro ritibus Baccho sacris ludi comici omni aetate habiti sunt.

Quae cum constent, ut aliis dionysiacis caerimoniis, ita comoediis mulieres esse acceptas consentaneum est.

III. Accedunt duo haec certissima indicia :

Non erubuerunt athenienses mulieres satyros audire : qui comoedos quidem verborum turpitudine fere aequabant, ornatus obscenitate superabant.

Pueros ipsos, quibus haud minor sane quam feminis reverentia debeatur, a comoediis nunquam exclusos esse convenit.

Ergo, si Atheniensium mores et religionem respicias, ne levissimam quidem reperias causam cur mulieres comoediis abfuerint; cur contra adfuerint sescentae conveniunt causae, cum e moribus tum e religione ductae.

IV

CONCLUSIO

§ 1. — *Quatenus athenienses mulieres jus spectandi sibi concessum usurpaverint.*

Neque legibus neque moribus athenienses mulieres a scaenicis ludis esse prohibitas satis superque demonstravisse jam mihi videor. Restat autem altera quaestio, ut majoris momenti, ita multo difficilior, num multae hoc jus usurpaverint.

De tragoedia praecipuum testem iterum habemus Platonem.

Is enim in *Gorgia*, p. 502 C, singula auditorum genera recensens, feminarum meminit (παίδων τε ὁμοῦ καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ δούλων καὶ ἐλεύθερων); quas, ut mihi videtur, omisisset, si paucissimae adfuissent.

Sed explicatius idem illud in *Legibus* VII, 817 C. Nam cives, dum tragoedis dicunt : « Ne sperate vobis

pueros et *mulieres* et universum populum compellandi facultatem fore (πρὸς παῖδας τε καὶ γυναῖκας καὶ τὸν παντα ὄχλον) », quid aliud quam matres et uxores et filias suas tragoediis adesse solitas omni luce clarius indicant? Quod qui neget, Platonem inanes voces fudisse credat oportet.

Hanc interpretationem comprobat alter *Legum* locus, qui de mulieribus πεπαιδευμέναις est (II, 658 A). Mulieres ingenio et moribus politiores ego quidem audio : quae nisi apud divites et optimates fere non reperiuntur. Docet ergo Plato has ipsas, cum ceteros ludos praesertimque comicos indecoros ducerent, tragoediis tamen libenter interfuisse. Quo posito, nihil sane est quod ceterae omnes feminae, minus verecundae quidem et pudentes, tragoediis abstinuerint[1].

Venio jam ad comoedias. A quibus muliebris sexus partem abhorruisse plura signo sunt. Hoc, ut proxime dixi, ipse Plato indicat (*Leg.* II, 658 A). In eandem quoque sententiam trahi possunt Aristophanis versus supra laudati (*Av.*, 793 sq.), quibus mulier quaedam domi per comicos ludos remansisse fingitur : namque ea, quippe senatoris uxor, inter πεπαιδευμένας habenda est. Cum his denique congruit optime Aristotelis locus in *Politicis*, quo, postquam tabulas et signa obscena in deorum templis nisi τοιούτων οἷς καὶ τωθασμὸν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος non toleranda dixit, sic pergit : πρὸς δὲ τούτοις ἀφίησιν ὁ νόμος τοὺς ἔχοντας ἡλικίαν πλέον προσήκουσαν καὶ ὑπὲρ αὑτῶν καὶ τέκνων καὶ

1. Adde quod ipsis verbis καὶ σχεδὸν ἴσως τὸ πλῆθος πάντων (*Leg.*, II, 658 A) et καὶ τὸν πάντα ὄχλον (VII, 817 C) feminae continentur.

γυναικῶν τιμαλφεῖν τοὺς θεούς[1]. Quae verba in omnia certe obscena spectacula cadunt. Idcirco severiores Athenis fuisse maritos, qui uxores suas a comicis spectaculis arcerent, mihi persuadeo.

Non ideo credendum paucis coram mulieribus graecas comoedias actas esse. Immo quod apud Platonem est de ταῖς πεπαιδευμέναις τῶν γυναικῶν, id perinde valet, si cogites, tanquam is popularium feminarum turbam non tam exquisito et fastidioso judicio fuisse dixisset. Quas in turpia novorum numinum sacra confluxisse vidimus[2]. Easdem a comicis ludis se removisse quis putet, ad quos spectandos pietate et voluptate pariter allicerentur? Impuras igitur illas Aristophanis fabulas, ut *Ecclesiazusas*, et *Thesmophoriazusas*, et ipsam illam *Lysistratam*, qua impurius nihil excogitari potest, non a viris tantum sed a magno mulierum consessu spectatas, immo cachinnis et plausu exceptas esse pro certo habendum.

1. IV (VII), 17, p. 1336 b. — In majore *Politicorum* editione (1872, in-8) F. Susemihl totum hunc locum sic scripserat : τοὺς τὴν ἡλικίαν ἔχοντας ἔτι τὴν ἱκνουμένην καὶ ὑπὲρ αὐτῶν καὶ τέκνων [καὶ γυναικῶν] τιμαλφεῖν... At in minore editione (1882, in-16) verba deleta καὶ γυναικῶν restituit.

2. Schol. *Lysistrat.*, 1. *Ibid.*, 389. *Orator. attici*, ed. Didot, p. 426, fr. 217. Harpocrat., s. v. Ἰσοδαίτης. Jamblic., *de Myster.*, III, 10.

INDEX RERUM.

I.

PROLEGOMENA.

§ 1. — Quas varias opiniones viri docti de re proposita exprompserint.............................. 7-16

§ 2. — Multa testimonia, a re aliena, ejiciuntur.......... 17-20

II.

QUAESTIO PRIOR : NUM ATHENIENSES MULIERES TRAGOEDIAS SPECTATUM ADMISSAE SINT.

§ 1. — Antiquorum testimoniorum disquisitio........... 21-27

§ 2. — Argumentum ex atheniensium mulierum secreta et umbratica vita ductum refellitur............ 28-50

§ 3. — Controversiae summa....................... ... 51

III.

QUAESTIO ALTERA : NUM ATHENIENSES MULIERES COMOEDIAS SPECTATUM ADMISSAE SINT.

§ 1. — Antiquorum testimoniorum disquisitio.......... 53-64
§ 2. — Argumentum ex graecarum comoediarum obscenitate ductum refellitur....................... 65-80
§ 3. — Controversiae summma.... 81-82

IV.

CONCLUSIO.

§ 1. — Quatenus athenienses mulieres jus spectandi sibi concessum usurpaverint...................... 83-85

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV nonas Mart. anno MDCCCC,
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

Tolosae. Ex typis DOULADOURE-PRIVAT, via dicta St-Rome, 39. — 8878.